DE CICERONIS LIBRIS DE NATURA DEORUM RECENSENDIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

OTTO DIECKHOFF
GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE 1894.
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.
W. FR. KAESTNER.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Fridericus Leo.
Examen rigorosum habitum est
prid. Non. Iul. a. h. s. XCIV.

Friderico Leoni

S.

Etsi artis criticae in Ciceronis libris ad philosophiam spectantibus exercendae Io. Georgium Baiterum et Carolum Halmium editione sua Turicensi altera egregium iecisse fundamentum et de Ciceronis verbis explicandis atque restituendis optime meritos esse nemo negabit, tamen dubitandum non est, quin illius editionis apparatus criticus philologo accuratius disputanti non iam sufficiat. Cui cum alia multa desunt, quibus ad codices recte aestimandos opus est, tum de correcturis, quae passim in omnibus codicibus inveniuntur, fere nihil aut nihil certi dicitur; contra errores non pauci insunt [1]). Gaudendum igitur est, postquam Vahlenus in usum editionis suae librorum *de legibus* codices iterum excussit, virum doctissimum P. Schwenkium, qui nunc bibliothecae regiae universitatis Regimontanae praeest, etiam librorum *de natura deorum* codices denuo contulisse eorumque variam lectionem in ephemeride The classical Review anni 1890/1 publicasse. Quo apparatu critico summa cum diligentia atque prudentia confecto usi quid de codicibus manuscriptis iudicemus, mihi disputandum proposui [2]). Qua in re me non fugit, iudicium illud, ad quod perventuri sumus, tantum in his *de natura deorum* libris, non universe valere,

---

1) Quam certum eius qui apparatu illo utatur de codicibus iudicium sit, intelleges, si e. gr. comparaveris, quot eorum exemplorum, quae Mayor in librorum *de nat. deor.* editionis volumine III ad codices aestimandos bona fide attulit, falsa sint. Cf. etiam p. 21 adn. 1.

2) Codicem *B* summa liberalitate viri doctissimi Guil. du Rieu Leidensis Gottingam missum hac dissertatione iam composita ipse quoque contuli. Cf. p. 79.

sed primum nondum omnium, quod iam dixi, librorum, qui in eis codicibus servati sunt, plenus apparatus criticus praesto est, deinde spero nos, si singula confecerimus, etiam summam facile facturos esse.

Codices igitur, quos Schwenkius contulit, hi sunt:

A. Leidensis inter Vossianos Lat. in fol. 84, saec. IX—X.
B. Leidensis inter Vossianos Lat. in fol. 86, saec. X.
C. Leidensis, Bibl. publ. Lat. 118, saec. XI. (*al.* Heinsianus).
F. Florentinus, Bibl. Laurent. Marcianus n. 257, saec. X.
M. Cod. Bibl. Universitatis Monacensis n. 528, saec. XI.
P. Cod. Bibl. Vaticanae inter Palatinos n. 1519, saec. XI.
V. Vindobonensis, Bibl. Caesareae Palatinae n. 189, saec. X vel IX—X.

Quibus ex codicibus, quorum de habitu, aetate, historia, correctoribus Schwenkii libellum ipsum quosque ille attulit conferas, totum corpus operum Ciceronianorum ad philosophiam pertinentium — i. e. libros *de natura deorum*, *de divinatione*, *Timaeum*, *de Fato*, *Topica*, *Paradoxa*, *Lucullum*, *de legibus* — continent *ABF*; in *V* et *M* desunt *Topica*[1]), praeterquam quod in *V* primis et extremis quaternionibus perditis etiam libri *de legibus* et magnae partes (I; II, 1—16 et 86—92) librorum *de natura deorum*, qui olim integri inerant, amissa sunt; *C* et *P* delectum illorum librorum exhibent, atque *C* continet libros *de natura deorum*, *de divinatione*, *de legibus*[2]), *P* continebat olim libros *de natura deorum* et *de divinatione* cum Walahfridi carmine *de cultura hortorum*, sed nunc quaternionibus singulisque foliis amissis ex libris *de natura deorum* restant tantum partes.

De archetypo.

Hos codices omnes ex uno archetypo libro fluxisse constat. Nam omnes habent communes et lacunas, vel minores vel maiores, et corruptelas, vel leviores vel graviores, et in-

---

1) Cf. Schwenke, Hadoards Ciceroexcerpte p. 523.

2) Scilicet tria maiora opera; quinque minora alterum volumen effecerint.

terpolationes, vel usitatiores vel miras. Cuius rei exempla afferre opus non est, quamquam mihi, qui non sine labore totum apparatum criticum excusserim, sescenta omnis generis praesto sunt. Id unum totam rem conficiat, quod in omnibus codicibus ordo libri secundi compluribus quaternionibus loco motis, si minora omittimus, eodem modo perturbatus est. (II 15_{20}[1]; cf. p. 16 ss.) Atque hic archetypus liber non ita multo vetustior fuit quam libri nostri, sed ipse iam minusculis litteris exaratus. Egit de eo C. F. W. Muellerus in Fleckeisenii annalibus a. 1864, pp. 127—147, 261—281, 605—631, qui, etsi exempla quae affert, ut expectandum erat, non iam omnia valent, tamen universe exemplar illud, ex quo codices nostri omnes fluxerunt, quale fuerit, recte describit. Ipse paucis eam disputationem amplificem atque augeam:

Correcturae, varia lectio, verba omissa, glossemata superscripta, vel in margine ascripta, vel iam inter genuina verba falso aut falso loco recepta erant his quoque locis:

I 26_{20}: cf. p. 67. —

33_{15}: »Quo porro modo mundus moveri carens corpore aut quomodo semper se movens esse quietus et beatus potest?«

Sensus est: Si deus, ut Aristoteles vult, corpore caret, moveri (vel se movere) non potest — nam quod corporeum non est, Epicureorum doctrina neque ipsum se neque aliud quicquam movere potest — atque, ut hoc possit, propter hanc ipsam causam quietus et beatus esse non potest.

Haud inepte igitur Schoemannus coniecit: »mundum movere potest« sc. deus. Alii alia temptaverunt. Sed multo facilius locus sanatur, si cum Madvigio verbum »mundus« glossema esse statuimus, (cf. II 133_{11}: in eo] in eo mundo, *glossemate recepto*, *Z*[2]) et recte nos facere dices, si videris, quod adhuc ignorabamus, in codice *B* »modo« primum omis-

1) Loci designantur numeris paragraphorum quae dicuntur et versuum editionis Turicensis alterius.

2) Eodem ac Schwenkius signo *Z* ad codicum omnium consensum significandum utor.

sum, deinde ab ipsa prima manu superscriptum esse. Ceterum »modus« et »mundus« saepe confunduntur, ut II 49_{10}: modum] mundum *BF*; 59_{16}: prope modum] prope mundum *B*[1]*C*; 120_{26}: mundum] mudum *A*[1]; al. loc. —

34_{23}: »Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros et tamen modo mundum, tum mentem divinam esse putat e. q. s.«

»Tamen« propter sensum ferri non potest, atque Schoemannus scite hoc verbum ex falso lecto signo *tm̄* = »tum« ortum esse coniecit, quod librarius vel lector aliqui verbo »modo« superscripsisset, cum alteri »tum« alterum respondere debere putasset. Hoc ita esse potuisse non nego, quamquam non intellego, cur lector ille non sequens »tum« in »modo«, sed antecedens »modo« in »tum« correxerit et cur aliis locis, qui prope adsunt, ubi eadem »modo« et »tum« inter se opponuntur, omnino nihil mutaverit. Sed interim prorsus omittamus hoc verbum. Habemus igitur: »et modo mundum, tum mentem divinam esse putat«. Iam quaestio oritur, num Cicero omnino inter se coniunxerit »modo—tum«. In orationibus nullum exstat exemplum, neque ullum in epistulis equidem inveni. Quae una afferri possunt, haec sunt, quae in his ipsis *de natura deorum* libris inveniuntur:

I 31_{35}: »Facit enim (Xenophon) . . . Socratem disputantem, formam dei quaeri non oportere, eundemque et solem et animum deum dicere et modo unum, tum autem plures deos.«

II 102_{1}: isque (sol) oriens et occidens diem noctemque conficit et modo accedens, tum autem recedens binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit.«

I 35_{27}: »modo enim menti divinum tribuit (Theophrastus) principatum, modo caelo, tum autem signis sideribusque caelestibus.«

I 33_{7}: »modo enim menti tribuit (Aristoteles) omnem divinitatem, modo mundum ipsum deum dicit esse, modo etiam quendam praeficit mundo eique eas partes tribuit, ut replicatione quadam mundi motum regat atque tueatur, tum caeli ardorem deum dicit esse.«

Horum quattuor exemplorum tria eius generis sunt, ut inter se opponantur »modo — tum autem«; in uno quarto longiorem sententiarum enumerationem concludens et a postremo »modo« longius disiunctum ponitur solum »tum«. Sine causa hoc fieri credere non possum, sed paulum differt »modo — tum autem« a »modo — modo« et »tum — tum« atque ita, ut non sit »bald — bald« sed »eben noch — dann aber auf einmal«, graece »*ἄρτι μὲν — νῦν δὲ* vel *τοτὲ δὲ*«, quod haud scio an Cicero in his »apographis, quae minore labore fiebant«, sive consulto sive casu imitatus sit. Itaque etiam 34 23 post »tum« »autem« inserendum esse puto, et iam redeamus ad illud »tamen«, quod ante »modo« in codicibus legitur. Nihil aliud est nisi »autem«, signo *aũ* in margine ascriptum, quod facillime cum *tñ* = »tamen« mutari potuit, cum *a* et *t* saepissime vix discernantur, ut II 50 20, ubi omnes codices (praeter V^2) »aut« pro »tum«, *ã* pro *t̃* posuerunt. —

I 72 8: »Nihil enim olet ex Academia, nihil ex Lycio, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis.«

Sic recte locus editur; subjectum est »Epicurus«, »nihil« obiectum verbi »olet« et coniungendum cum »ex Academia, ex Lycio, e puerilibus disciplinis«, quasi dictum sit: »olet Epicurus nihil Platonicum, nihil Aristotelicum«. Sed traditum est primum »floret« pro »olet« in *ACP*, quod sensum non praebet atque ex »oret« (l superscr.) ortum videtur esse[1]; deinde quod omnes codices verbum »ne« bis ponunt, apparet in archetypo fuisse: »nihil ne ex puerilibus quidem disciplinis« (superscr. ex Lycio nihil ne); etiam in *A* prima manus verba »ex Lycio nihil« omisit. —

II 26 10: cf. p. 67. —

79 33: »Quodsi inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia, unde haec in terram nisi ab superis defluere potuerunt?«

---

1) Cf. *de div.* I 44 30: appellere] *prius* l *ex* r *corr.* B^1; II 16 19: oleae] oreae B^1, 31 24: quale] quare B^1, 81 12: vulgare] uolgale B^1, 136 2: Caeciliae] cecirie B^1; *de fato* 5 1: fatalis] fatal ris B^1.

Sic tradunt *ACV*; *BFM* habent »ab his superis«, praeterea in *V* »-s de« in rasura a prima vel a secunda manu, in *B* »-s« in rasura a secunda manu scripta sunt. Apparet in archetypo exitum verbi »superis« et initium verbi »defluere« aliquo modo corrupta aut evanida atque »is« superscriptum fuisse, quod librarius qui codicem *B* exaravit, per se stare ratus ante »superis« inseruit; »is« autem et »his« in codicibus nostris passim confunduntur (cf. p. 13); »superis« B^2 demum correxit; sed conf. etiam p. 43. —

140_{1}: cf. p. 28 adn. 2. —

III 45_{9}: »Itaque Achillem Astypalaeenses insulani sanctissume colunt«.

De verbo »Astypalaeenses« conf. p. 19. »Sanctissume colunt« in uno codice *B* est; »sanctissime colunt« habent *CM*, »sanctissimum ecolunt« AV^1 (»-mume col.« V^3), »sanctissimum (*corr. 1 ex* »-ima«) col.« *P*. Apparet vacillare lectionem ob eam causam, quod in archetypo »sanctissum$\overset{e}{u}$m colunt« erat; utrum praeferendum sit, dubium non est[1]. —

Neque malis coniecturis archetypus vacuus fuit. Quarum paucas hic affero:

I 61_{26}: et consessu] et in consensu *Z*.

II 4_{4}: nutu] motu *Z*.

9_{27}: nulla cum viri] nulli viri *Z*.

46_{7}: resipiens] respiciens *Z*.

149_{13}: si] nisi *Z*.

III 5_{18}: potuisset] potuissent *Z*.

Permultis deinde locis in archetypo verba non aut non recte distincta erant, ut idem in codicibus nostris factum sit. Cuius rei exempla ex uno tertio libro haud ita longo 25 notavi, ubi aut singuli vel complures aut omnes codices verba aut non recte aut omnino non distinguant et coniungant. Atque ut verba ita neque periodi (cf. II 135_{20}: ore. Is] oris *Z*) neque capita (cf. III 65_{15}), neque libri (II et III) satis definita erant.

Sed cum hac͜ re probetur archetypum non multo post

---

1) **Alia exempla p. 42 et 43.**

tempus illud, quo maiusculis litteris libri scribebantur, exaratum esse, multis aliis rebus omnis dubitatio removetur, quae de genere scripturae oriri possit. Hic pauca tantum afferam. Ex litteris propter similitudinem commutatis iam commemoravimus *a* et *t*, accedunt *c* et *t*:

I 29_{17} *B^1*; 49_{8} *A^1*; 49_{9} *B^1*; 50_{11} *A*; 51_{21} *C^2* 53_{36} *B^1*; 57_{26} *A^1*; 80_{9} *ACM*; 80_{10} *AB^1C*; 106_{39} *C*. II 12_{22}: haec et] haec *om.* et *Z*; 49_{10} *V^1*; 74_{15} *A^1*; 86_{18} *AC*; 95_{11} *V^2*; 95_{14} *$ABFMV^1$*; 115_{9} *C^1*; 123_{17}: bestiis] *P*, escis *A* (*sed* -cis *in ras. 3*) *$BCFMV^2$*, estis *V^1*; 162_{29} *C*. III 5_{25} *B^1*; 30_{33} *B^1*; 43_{18} *B^1*; 48_{2}: sit Cadmi] sit admi *A^1V^1*, si cadmi *B^1F*. 49_{15} *B^1*; 67_{32} *P*; 74_{12}: it praetor] ite precor (*vel* praecor) *Z*; 91_{29} *B*.

Omnino nihil valent codices, cum agitur, utrum »cum« an »tum« scribendum sit.

x et *t*:

III 41_{32} una littera *x* pro *t* posita totus locus corruptus est, cum in omnibus codicibus ex »quem (Herculem) conveniri facit ab Ulixe sicut ceteros, qui excesserant vita. Quamquam e. q. s.«, si minora omittimus, fieret: »quem . . . ab Ulixe sicut ceteros, qui excesserat (*vel*-ant) vix aqua. quam e. q. s.« — Multa exempla ea sunt, quibus »et« et »ex« inter se commutentur, ut

I 49_{8} *C*. II 6_{21} *C*. III 16_{18} *B*; 42_{8} *C^1*; 53_{28} *C*; plura non notavi, sed sunt, nisi fallor.

d et *cl*:

I 29_{11} *AC*; 82_{28} *B^1C*; II 7_{9} et 14 *C*; 26_{10} *C*; 55_{32} *V^1* *cum coniectura*; 161_{18} *C^1* *et ut vid.* *A^1*; III 35_{4} *B^1*; 68_{17} praeter *P* omnes *d* pro *cl* posuerunt, unde litteris falso distinctis gravior corruptela orta est: quem clam Thyestem, cl *et* m t *corr. 2-3*, *A* (*A^1* *Schwenkio hab. vid.* qu. dant hyestem, *cf. V*), quamd*m thiestem *B^1*, quendam thiestem *B^2CF*, quem quendam dant thyestem (quendam *del.*) *M*, quem cleanthyestem *P*, quem dant hyestem, em *in ras. et praeced.* e *superscr. 2 V*; eodem versu *C* iterum *d* pro *cl* ponit; 73_{8} *C*; 80_{13} *B*.

s et *f*:

I 79$_3$ B^1; 79$_8$ CM^1; 101$_{37}$ A^1; 113$_{30}$ A^1; II 53$_{15}$ P; 111$_{16}$ C; 151$_5$ Z; III 26$_{32}$ C; 41$_{28}$ B^1; 59$_{27}$ V^2; 88$_1$ B^1; 89$_7$ B^1.

Ex ceteris litteris identidem commutantur: *a* et *o*; *a* et *u*; *a* et *c*; *ei*, *ci* et *a*; *e* et *o*; *iu* et *ui*; *l* et *i*; *h* et *b*; *l* et *r*; *n* et *u*; *p* et *r*.

Etiam notis archetypus abundabat. Velut exitus verborum notatos fuisse, inde apparet, quod »-re, -ri, -tur, -erat, -erit, -eret, -us, -io, -ionis«, alia saepius omittuntur vel corrumpuntur. Eum qui archetypum scripsit etiam lineola superposita pro *m* et *n* usum esse, probant plus quadraginta exempla, quae in libro altero, viginti fere, quae in tertio numeravi. Ex formis verbi substantivi saepius commutantur: »esse« et »esset«, »sunt« et »sint«. Omnino utrum indicativus modus an coniunctivus ponendus sit, e codicibus non pendet. Nam videas 27 locis libri primi, 34 alteri, 15 tertii indicativum pro coniunctivo et vice versa positum esse. Formam »est« nota (ē) scriptam fuisse, docent tales loci: I 99$_{18}$: quidem] quid est B^1; 107$_{11}$: idem] id est C; II 63$_{30}$: quidem] quid est B^1; 64$_1$: id est] idem C^1P; 122$_{15}$: elefanto est quia] elefantos quia AB^1V^1; 151$_{32}$: id est] idem C^1P deest B^1; III 8$_1$: quidem] quid est C^1; 23$_{32}$: id est] idem C; 28$_{17}$: maior est] maiorem C; 33$_{17}$: quid est] quidem C.

Signum *q* librariorum more variatum pro »qui, quae, quod, quis, quid, quia«, omnibus eiusmodi formis in archetypo usurpatum fuisse, inde apparet, quod plus sexaginta locis libri secundi et tertii ex omnibus codicibus collectis hae formae inter se commutantur; idem dicendum est de *p* eiusque varietatibus pro »per, prae, praeter, pro«, aliis positis.

Ex particularum numero in archetypo notis scripta ob eamque rem a librariis saepius omissa, vel mutata, vel corrupta invenimus: »autem« II 35$_{17}$: universam autem naturam] u. hanc n. B^1; manifestum est scriptorem hic »lï« = »autem« legisse et »hanc« coniecisse; 35$_{28}$ B^1; 66$_{28}$ B^1; 85$_6$ B^1M^1; 108$_{14}$ B^1; 122$_7$ A^1; III 47$_{25}$ C^1.

»enim«: I 16$_{21}$: M. enim] m. n. $ABFM$ gn C; 67$_7$ A^1B; 86$_{26}$ B^1; 121$_8$ B; 113$_{26}$: Nam etiam] Nam enim Z;

124_{31} *A*[1]*C*; II 121_4 *P*; III 11_3 *B*[1]; 20_{11} *Z praeter V*[2]; 22_{28} *C*; 36_{16} *P*; 71_{18}: non enim ut] im ut *in ras 3, A* (*fuit* non em . . .), non em cui *P*, nonem u (*vel* ut*?*) *V*[1], non ut enim *C*.

»etiam«: I 30_{28}: etiam] tam *B*[1]; II 29_4: etiam] et *V*[1] 131_{25}: etiam] etiamiam *C*[1], *ut pro sequ.* et] etiam *C*[1] *et sic in sequentibus usque ad § 144 sexies* etiamiam, *ter* etiam; III 15_3 *P*; 23_3 *P*; 23_{24} *A*[1].

Similiter se habent: »ergo, igitur, vero«, alia. Etiam nomina quaedam saepius usurpata per compendia excepta erant, ut »religio« saepius corrupta est in »relio« vel »regio«, vicissim pro »regio« falso posita »religio«; item »philosophus« et alia.

Postremo de »-es« et »-is« in casu accusativo numeri pluralis declinationis tertiae et de »-imus« et »-umus« in superlativo gradu comparationis id tantum dicam, ex codicibus nostris nullam (uti expectandum erat) formari posse regulam, quam sequentes alterum aut alterum ponamus. Prorsus miscentur hae formae, et in eodem codice modo »-es«, modo »-is« ponitur, modo in »-imus«, modo in »-umus« superlativus exit. Ut, si quis cum Baitero »-is« in adiectivis, »-es« in substantivis omnibus postulet, codices referti sint mendis (ex primo libro 34, ex altero 35, ex tertio, ubi diligentius collegi 43 exempla notavi). Saepius etiam in genetivo singularis »-es« ponitur; ne talia quidem desunt: III 73_{36}: dissipes] -is *ABFM*[1]*PV*[1]. In archetypo »-eis« fuisse, non alienum sit concludere, si hos locos compares: I 10_6: Pythagoreis] pithagores *A*[1]; II 3_{19}: partes] parteis *BF*; 104_{17}: Arateis] Arates *B*[1] [1]); sed hoc in medio relinquam. Similiter confunduntur etiam formae pronominum »hic« et »is«, maxime in nominativo et dativo ablativoque numeri pluralis, cuius rei exempla ex primo libro 27, ex altero 70, ex tertio 35

---

1) Fortasse igitur etiam I 71_2 Boherio et Davisio rectissime placuit editionum Aldinarum lectio: »si in cer*eis* fingeretur et fictilibus figuris«, cum codices omnes habeant: »si in cer*is* fing. e. q. s.«; nam »cerae« pro »Wachsfiguren«, nisi fallor, revera non inveniuntur nisi apud poetas, quos imagines maiorum hac voce appellare nemo ignorat.

notavi. Seiungi non potest haec quaestio ab altera de aspiratione in initio verborum adhibita, de qua pauca dicit Schwenkius p. 6, ipse diligentius non quaesivi. Hoc certe sequitur in his rebus omnibus codicum auctoritatem prorsus nullam esse.

Iam priusquam ad singulos codices recensendos transeamus, e re erit nonnullos locos inspicere, qui

universe quae ratio intercedat inter codices

nos doceant.

I 114 6: »Nec (nec**, c *in ras.* *2*, *B*; neque*?* *1*) tamen video, quomodo non vereatur iste deus beatus (beatus *corr.* *1* *ex* batus *A*, non moveatur iste deus beatus *C*, non vereatur (*vel* vereat*?*) deus ne intereat *B*[1], non vereatur iste deus beatus ne intereat *B*[2]*FM*), cum (quum *BF*) sine ulla intermissione (-misione *A*) pulsetur agiteturque atomorum incursione sempiterna, cumque ex ipso imagines semper afluant (*B*[1], affluant *cet.*). Ita nec beatus est vester deus nec aeternus.«

Cicero postquam Epicuri deos immortales esse non posse exposuit, ad beatitudinem (duri verbi ipse auctor est § 95) transit § 110: »Nullo igitur modo immortalem deum efficitis. Videamus nunc de beato«. Beati autem Epicuri dei esse non possunt, quod nihil agunt, nam, qui nihil agit, virtute caret, et sine virtute beatus nemo cogitari potest. Etiam corporis illarum voluptatum expertes sunt, ut in his summum bonum positum esse Epicuro concedamus. — At dolore vacant. — Hoc unum beatam vitam efficere non potest. — Et assidue de beatitudine sua cogitant. — Hoc ridiculum est, nam comprehendas, quaeso, animo et proponas ante oculos deum nihil aliud in omni aeternitate nisi »Mihi pulchre est« et »Ego beatus sum« cogitantem. Ac ne illa doloris vacuitas quidem dubitatione vacat, nam eum, qui pulsetur agiteturque sempiterna atomorum incursione, et ex quo imagines semper afluant, vereri opus est, ne intereat; qui autem in timore versatur, dolore non vacat. Itaque, ut iam aeternum Epicureorum deum non esse supra (§ 110) demonstravimus, ita ne beatus quidem est.

Hoc modo ipse cum Schoemanno et C. F. W. Müllero

locum intellegendum esse puto. Sed Madvigius proposuit: »Nec tamen video, quomodo non conteratur iste deus beatus cum e. q. s.« Non enim tam agi de timore interitus quam de interitu ipso, neque, quod sequeretur, »nec beatus« ad timorem illum pertinere; non beatum esse deum, quod nihil ageret, non aeternum, quod contereretur. Contra dicendum est, verbis »Ita nec beatus est vester deus nec aeternus« duplicem disputationem de immortalitate (§ 103_{12}—110_{8}) et de beatitudine dei (§ 110_{8}—114_{9}) comprehendi, ita ut »beatus« non ad unum illum timorem interitus, sed ad totam de beatitudine explicationem referendum sit; de interitu ipso autem inde a § 110_{8} non agitur. Erravit Madvigius, quod has duas disputationis partes non satis distinxit. Eisdem de causis etiam Baiteri coniectura: »Nec tamen video, quomodo non pereat iste deus beatus, cum e. q. s.« reicienda est. Quod Heindorfius coniecit: »Nec tamen video, quomodo videatur sibi iste deus beatus, aut quomodo non vereatur, ne intereat, cum e. q. s.«, verba »quomodo videatur sibi iste deus beatus« inutilia sunt, cum assiduam illam beatitudinis cogitationem Cicero iam ridendo confecerit verbis: »Comprehende e. q. s. cogitantem«. Dicemus igitur legendum esse: »Nec tamen video, quomodo non vereatur iste deus beatus, ne intereat, cum e. q. s.« Accedit quod hoc ipso modo locus citatur ab Augustino in Ep. CXVIII, ed. Benedict. e congr. S. Mauri, Paris. MDCC, tom. II, p. 258, sub fin.

Iam codicum nostrorum lectiones iterum perlustremus. Apparet locum in archetypo corruptum esse propter similitudinem verborum »vereatur, beatus, intereat«, atque primum *A* et *C* consentiunt, cum »ne intereat« omittant; »moveatur«, quod *C* habet a re, de qua hic agitur, alienissimum et nihil nisi pessima coniectura est, nam »moriatur«, quod fortasse quispiam in eo latere putet, non minus falsum sit quam »conteratur« vel »pereat«. Ab altera parte stant Augustinus et *BFM*; sed in *B* verba »iste« et »beatus« a secunda manu, ex alio exemplari nimirum, addita sunt. Codicem *F* ex *B* descriptum esse constat. Vid. Schwenkium p. 3 [1]).

---

1) Praeter I 12 23 cf. talia:

I 16 23: Balbum] balbạim (-um *ex* -am *corr.*) *B* balbim F^1.

Etiam *M* correctam lectionem habet, ut ab initio verisimile sit, eum aliqua affinitate cum *BF* coniunctum esse, nam propriae originis non est. —

II 15_{20}: Quae sequuntur verbum »vicissitudinibus« in codicibus quam varie transposita sint, Schwenkii tabula demonstrat. Quam qui diligentius intuetur, totam perturbationem inde ortam esse inveniet, quod in archetypo duo membranarum fasciculi, quorum uterque septuaginta paragraphos complectebatur, loco suo moti et inter se commutati sunt. Fasciculus enim aliqui finiebatur in media sententia verbo »vicissitudinibus« 15_{20}, alter continebat 15_{20} »tam multarum rerum« — 86_{18} »ecferant aliquid«, 663 lineas ed. Orell., tertius, totidem foliorum, quot habebat alter, 86_{18} »ex sese perfectiores« — 156_{8} »quae cum maxima«, 717 lineas ed. Orell.[1]); quartus inciepat 156_{8} verbis »largitate fundit«· Tertius ille errore glutinatoris ante alterum positus est. Quod cum postea animadvertisset aliquis, notam posuit et postremam primi fasciculi sententiam interruptam in margine archetypi ad finem perduxit. Itaque B^1 interrumpit demum post »motus gubernari« 15_{22}, incipit autem post tertium fasciculum falso secundo loco positum iam verbis »tam multarum« 15_{20}, ut verba »tam multarum — gubernari« bis exhibeat. Ab altera parte stant *ACPV*, (nam quod desunt in *PV*, ut sunt passim mutilati, priores partes libri secundi, vix ullam dubitationem afferre potest, cum aliis multis rebus cum *AC* artius cognati esse satis probentur), qui non

---

77_{17}: ni ita] mita F^1; *B* hoc loco *n* et *i* non satis distinxit, ut facillime pro *m* habeantur.

82_{26}: faelem] paelem *F*; in *B* hoc loco littera *f* litterae *p* simillima est.

85_{21}: eius *per compendium* eī *B* ei *F*.

91_{9}: luberet] lïberet *B* lyberet *F*.

II 81_{20}: et ex sese — appellent *om F*; *in B uersus dividuntur*: pos| sent et ex sese . . . appel|lent ut . . .

Sescenti autem sunt loci, quibus *F* recepit, quae B^2 corrigendo depravavit. Vid. etiam p. 19.

1) Numeri, 663 et 717, aliquantum differunt, quod in tertio fasciculo, ubi multi versus cum alii tum Aratei sunt, Orellii lineae saepe non plus unum vel duo vel tria verba continent.

solum postremam illam prioris fasciculi sententiam suppleverunt, sed etiam sequentes usque ad »dixeris quam deum« 16_{29} adiecerunt, atque postea huc respicientes verbis »Etenim si di« 16_{30} pergunt, ut appareat in eo exemplari, a quo *ACPV* originem ducunt, *α*, orationem paulo longius perductam, et ea, quae iam antea posita erant, posteriore loco deleta fuisse. Quod utrum iam in archetypo ipso factum fuerit, neque diiudicare possumus, neque scire magnopere interest, id constat, in archetypo neque 16_{22} »Chrysippus quidem« — 16_{29} »quam deum« priore loco addita, neque initium delati alterius fasciculi, 15_{20} »tam multarum« — 15_{22} »motus gubernari« vel 16_{29} »quam deum«, quod cum iam antea additum esset, prorsus inutile erat, deletum fuisse, cum *B* vel eius parens *β* ex eo describeretur, ut suspicio moveatur, codicem *B* vetustiorem praebere lectionis memoriam.

Praeterea autem in *AC* post »dixeris quam deum« 16_{30} immissa sunt verba »largitate fundit — gignere videtur« 156_{8-9}, quibus quartus fasciculus incipiebat, ut ea in *AC* bis legantur. Quod cur factum sit, dubitari non potest. Ipsa quoque alicui debentur, qui orationem interruptam longius perducere voluit et falsi fasciculi initium addidit.

Restat, ut de B^2 et *M* dicamus. B^2 igitur primum 15_{22}—16_{29} et post vacuum spatium (29 millim.) relictum 156_{8-9} in inferiore margine supplevit. Inde efficitur primum, hunc correctorem codice, qui *ACPV* vel *α* simillimus erat, usum esse; deinde, quod scire in correcturis eius aestimandis intererit, linguae latinae haud imperitum fuisse, cum verba 156_{8-9} »largitate fundit — gignere videtur« mutilam sententiam esse cognoverit. Postea autem tota re perspecta non solum omnia, quae ipse addiderat, sed etiam 15_{20-22} »multarum—gubernari«, quae B^1 duobus locis scripserat, priore loco delevit.

Codex *M* denique consentit cum *ACPV*, *α*, praeterquam quod post 156_{8} non 16_{30}, ut in *α*, sed 15_{20}, ut in *B* sequatur, ut ex utroque codicum genere compositus esse videatur.

Notam illam, quam II 15 in archetypo fuisse supra diximus,

α ordinem restitutum esse ratus omisit; in *B* adhuc exstat. Nam verbum »transmutavit«, quod Schwenkius ad »mentita sit« adnotatum esse dicit, revera ad perturbationem referendum est. Primum enim in *B* glossemata singula verba interpretantia exceptis eis, quae iam in archetypo inter Ciceronis ipsius verba irrepserant, a prima manu addita nusquam inveniuntur; deinde idem signum Γ, quod ante »transmutavit« in margine est, etiam post »gubernari« fuit, ubi adhuc agnoscitur, quamquam erasum est ut asteriscus, quem B^2 eodem loco posuerat; contra ad »mentita est« signum additum neque est neque fuit.

In codice *B* etiam multis aliis translationibus ordo perturbatus est. Quae quin ipsae quoque omnes iam in archetypo fuerint, dubium esse non potest, atque β et *B* eas apertissimas servaverunt, α ordinem restituit [1]). Una illa, de qua copiosius disputavimus, libri *de nat. deor.* secundi perturbatio etiam in α remansit, quia is qui α scripsit interrupta sententia expleta et sequentibus additis damnum iam resartum esse putabat [2]). Quod autem hoc uno loco iam in archetypo aliquis sententias non coire sensit atque lacunam explere conatus est, mirandum non est, nam primus totius codicis liber non aliter atque hodie etiam antiquis temporibus saepius legebatur atque tractabatur. De omnibus translationibus illis coniunctim agere, quod unum fructuosius sit, tum, cum hanc dissertationem componebam, nondum licebat, quia nemo eorum, qui codicem *B* contulerant, omnia, quae sciri opus erat, de eis rettullerat. Quae cum ipse iam collecta habeam, ubi primum tempus erit, alio loco de ea re accuratius disputabo. Ex eis autem quae exposuimus id efficitur, codicem *B* vetustiorem praebere lectionis memoriam; melioremne etiam praebeat, postea cognoscemus. —

III 45_9: »Itaque Achillem Astypalaeenses (*sic nullus co-*

---

1) Item codicem *F* qui ex *B* descripsit, ordinem restituit.

2) Cum haec dissertatio iam litterarum formis describeretur, ex Schwenkii epistola benigne ad me missa in *A* etiam alteram perturbationem (in Timaeo) esse cognovi; non dubito, quin etiam haec certa de causa remanserit.

dex; astypalisnse *AP*, astypalis ñ se *C*, astipallisnse *V*, astipalinses *BF*, astypalinses *M*) insulani (insula *corr. ex* insule *P*) sanctissume colunt (*B*, sanctissime colunt *CM*, santissimum ecolunt AV^1, -mume col. V^3, sanctissimum, *corr. 1 ex* -ma, colunt *P*, sanctissumum, *extr.* m *2*, colunt *F*).

Primum in corrupto nomine »Astypalaeenses« scribendo iterum duo codicum genera inveniuntur: *ACPV* astypalisnse (*C non sine coniectura*) *et ABFM* astipalinses. In archetypo, fuit »astypalis^{nse}« [1]), quod quid vellet, β cognovit, α non cognovit. Deinde iam vidimus in archetypo »sanctissumum«, falso ad Heraclem relatum, in »sanctissume« correctum fuisse. Itaque AV^1 habent »sanctissimum ecolunt«, ut artiore affinitatis vinculo eos coniunctos esse suspicemur, (in *A* omnino correctum non est, in *V* manus 3. conata »-um« expungere oblita est); *P* eadem de causa »sanctissima« scripsit, quod ipsa prima manus in »um« correxit; nisi altero correctore *P* fere careret, haud scio an ad »-ma« et »-mum« etiam »-me« accessurum fuerit. *BCM* rectam lectionem praebent. Quod *F* hoc loco a *B* dissentit, nihili faciendum est, nam et res minuta est et gravius discrimen secunda demum manus attulit. Omnino nullus locus est, qui nos impediat, quominus Schwenkio, quod iam commemoravimus, prorsus assentiamur, codicem *F* ex ipso *B* a B^2 correcto descriptum esse iudicanti. Tamen ut tuo iudicio uti possis, hic omnes ponam locos, quibus *F* cum *B* non consentiat: I 1_{6}; 1_{7}; 2_{7}; 2_{8}; 5_{34}; 8_{28}; 12_{26}; 14_{6}; 23_{20}; 39_{30}; 45_{13}; 45_{18}; 75_{32}; 83_{33}; 116_{17}. — II 2_{11}; 2_{12}; 12_{29}; 46_{7}; 58_{19}; 62_{29}; 74_{16}; 77_{18}; 81_{16}; 87_{30}; 88_{4}; 90_{2}; 91_{10}; 92_{25}; 93_{33}; 97_{32}; 110_{30}; 110_{1}; 121_{5}; 127_{17}; 130_{14}; 150_{29}; 156_{13}; 161_{18}; 166_{21}. — III 8_{6}; 12_{14}; 16_{19}; 24_{21}; 39_{14}; 45_{7}; 45_{9}; 50_{20}; 53_{23}; 57_{3}; 57_{5}; 62_{24}; 64_{35}; 69_{26}; 74_{21}; 79_{3}: 87_{34}; 93_{12} [2]). —

1) Is enim qui archetypum scripsit in eo quod describebat exemplari cum legeret »astypalēses«, »eses« dittographiam esse ratus posuit »astypalis«, etiam »es« in »-is«, ut saepissime, mutato; deinde corrector aliquis, quem archetypum tractasse scimus, »nse« superscripsit.

2) Ne quid desideretur, etiam de correctore F^2 ea, quae cognitu

III 56 22: »Quintus (Mercurius), quem solunt Pheneatae, qui Argum dicitur interemisse ob eamque causam Aegyptum profugisse atque Aegyptiis leges et litteras tradidisse«.

Ita quin scribendum sit, dubium non est, ex codicibus autem nostris unus *C* recte praebet verba »Aegyptum profugisse«, in ceteris omnibus corrupta sunt atque habent: aegyptum profuisse B^1V^1 (*etiam* A^1 — tum *habuisse opinor, nunc in rasura* — to profuisse *ab* A^{2-3} *scriptum est*), aegypto profuisse PV^2A^{2-3} (aegipto *P*), aegypto praefuisse B^2FV^3 (pref. *F*), aegipto profugisse *M*.

Iam in archetypo littera *g* verbi »profugisse« omissa aut corrupta fuit. Unus *C* rectum restituit. Etiam in *M* »profugisse« legitur, sed coniunctum cum coniectura, qua etiam PV^2A^{2-3} corruptelae mederi sibi visi sunt; audacius coniecerunt B^2FV^3. —

Quibus locis inspectis haec quae partim iam constabant[1]), dicenda sunt:

---

digna videri possint, hic addam. Multis igitur locis verba ab F^1 scripta recte emendavit, ut interdum cum paucis aliis libris veram lectionem praebeat, cf.: II 6 22; 81 19; 87 3; 129 32; III 34 30; 52 27; 94 26. — Duobus locis vel unus rectum posuit: I 71 38: quod] F^2M; *de M cf. infra*; quam $ABCF^1P$. III 14 31: praesertim cum plurimis de rebus divini isti mentiantur] divini F^2, divinis *cet. omn.*; mentiuntur *Z*. — Dignam, quae commemoretur, lectionem infert etiam II 65 22: Iove fulgente tonante: dicunt enim c a e l o f u l g e n t e, t o n a n t e.] Pro utroque »fulgente« F^2 »fulgorante« ponit, quod per se non minus aptum est quam »fulgente«, cf. enim *de div.* II 42: »Itaque in nostris commentariis scriptum habemus: Iove tonante, fulgurante comitia populi habere nefas.« — Linguae autem latinae F^2 peritum fuisse, docent coniecturae, quas compluribus locis temptavit, cf.: I 97 36; 124 30; II 6 25; 9 25; 86 22; 106 35; 111 17; 118 7; 126 1; 137 6; III 62 18; 72 27. Itaque omnino nullo codice eum usum esse iudicaremus, nisi paucis locis ea, quae F^1 omiserat, adderet, quod sine codice non posset: II 46 7: resipiens] respiciens $ABCF^2MPV$, *om.* F^1. III 57 2: obligavisse — percussus dicitur] *om.* F^1, *ab altero* dicitur *ad alterum oculis transiliens, add.* F^2. 61 12: Quo in genere] *om.* F^1, *add.* F^2. — Sed codicem illum alium ac *B* fuisse non est cur putemus.

1) Cf. C. F. W. Müller l. c.; J. Forchhammer, Nordisk Tidskrift for Filologi 1880 p. 23 ss.; J. B. Mayor in librorum *de n. d.* editionis

1) omnes codices ex uno fluxisse archetypo;

2) duo esse codicum genera, *ACPV*—*BF*(*M*);

3) artius cognatos esse *A* et *V*, si ea quae aut A^2 aut V^2 correxerit, omittamus, sed una re inter re differre, quod *V* Topica nec contineat nec continuerit[1];

4) codicem *C* coniecturis inquinatum esse, etsi nemo negare possit, eum interdum unum ex omnibus rectam lectionem praebere;

5) codicem *P* vix multum valere ad Ciceronis verba restituenda, nisi forte illustret, quid codex α habuerit, et quomodo corruptela aliqua in eius classis codicibus orta sit[2];

---

vol. III p. XXVII ss.; Schwenke, Hadoards Ciceroexcerpte, Philologi Suppl. V fasc. 3; praef. app. crit. p. 3; Burs. Jahresber. 1893 p. 229.

1) Ex 55 codicum *A* et *V* (vel A^1 et *V* vel *A* et V^1 vel A^1 et V^1) consentientium exemplis, quae Mayor Baiteriano apparatu confisus ex tertio libro attulit, 27 (!) ad irritum cadunt. Sed in perditorum locum 52 alia succedunt: III 7 29; 9 13; 10 18; 11 7; 15 1; 16 19; 18 27; 18 33; 23 2; 25 26 et 28; 31 6; 39 9; 43 10; 45 9; 47 27 et 28; 48 3 et 4 et 6; 51 2; 57 7 (cf. 66 18; 91 28; 74 13; III 49 9); 58 13 et 16; 61 13; 62 14; 64 3; 66 18 et 21; 68 17; 74 17 et 22; 75 30; 76 12; 77 19 et 20; 79 3; 81 18 et 21 et 22 et 23; 82 33; 84 24; 85 4 et 5 et 6; 90 22; 91 33; 92 10; 94 32; 95 37; subscriptiones utriusque ad litteras congruunt, praeterquam quod *V* »feliciter« bis ponit. Quibus exemplis ex secundo libro haec 50 addas: II 27 23; 30 6 et 9 (cf. 59 29; 82 23; 124 4; 158 25; III 11 4; 13 18 et 20; 57 3; 94 32) et 12; 32 24; 38 9; 40 23; 49 9; 59 29; 67 15; 73 11; 74 23 bis; 81 15; 82 23; 83 31 et 36; 99 18; 103 5; 110 31; 111 25; 114 6; 115 9; 121 30; 122 13 et 14; 124 4; 126 3; 128 21; 136 3; 144 5; 147 1 et 4; 148 9 quater; 152 9 et 11; 156 13; 157 15; 158 25 et 31; 159 33 et 1; 163 2; 164 4 et 9; 166 22; 167 31.

2) De codice *P* cum postea pluribus disputaturus non sim, hic pauca, quae ad vim et naturam eius cognoscendas idonea sint, afferam. Quamquam ceteroquin classis α notas prae se fert, tamen III 13 22 cum $BFMV^2$ »requiro« addit; singulis locis modo cum *A* (I 68 13 dumecta *AP*; conrepetis A^2P), modo cum *C* (II 31 15 cum] quin *CP*, *V quod in Schw. apparatu omissum est habet* cum, *idem A sed in ras. 3*; 125 20 in tergo] integro *CP*), modo cum *V* (III 11 7 tu] tuq. *PV*, tuquae *AC*, tu quam B^1, -q, -quae, quam *ex sequenti* cantheriis, quantheriis *praecepta sunt*; 56 19 Pana] *om. P, del 1 vel 2 V*) consentit. Multis locis verba omittit aut ordinem verborum ex arbitrio mutat; nec coniecturis (I 72 7; II 163 3; III 25 22; 70 33) neque interpolationibus (II 57 9; 168 3; III 19 6; 44 21) vacat. Unus ex omnibus ve-

6) codicem B^1 non solum non magis interpolatum esse quam *A*, sed certissime vetustiorem lectionis memoriam praebere;

7) codicem *F* ex *B* descriptum esse;

8) codicem *M* mixti generis plerumque consentire cum *BF* vel B^2F, sed etiam non raro cum singulis alterius classis codicibus.

Iam, ut inde pergamus, ubi propter apparatus critici inopiam substiterunt viri docti in codicibus recensendis, agamus:

1) de codicis *B* et correctoris B^2 vi ac natura,
2) de codicis *A* correctoribus A^2 et A^3,
3) de codicis *V* correctoribus V^2 et V^3,
4) de codice *C*,
5) de codice *M*.

De codice B.

Atque primum quidem codicem *B* Müllerus pluris aestimandum esse dixit quam *A* eiusque asseclas [1]), Forchhammerus non solum minoris, sed fere nihili, cum, quae rectiora in eo invenirentur, coniectura emendata essent. Qua in re acriter discernendae sunt genuinae codicis *B* lectiones et correcturae manus B^2, quod post Schwenkii demum collationem omnibus locis facere nobis licet. Illas igitur primas examinemus necesse est. Atque iam initium libri primi occasionem nobis offert. Locus est difficillimus ventisque criticis vehementissime vexatus:

I 1: »Cum multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, et perobscura quaestio est de natura deo-

---

ram praebet lectionem: I 65 16 doce] *P*, doces *ABCFM*; II 123 17 bestiis] *P*, escis *A* (*sed* cis *in ras.* 3) *et* $BCFMV^2$, estis V^1; III 90 19 a nepotibus] *P*, ac nep. *ABCFMV*. — Correctorem fere passus non est, quinque correcturae, quas Schwenkius signo P^2 notavit, nihil sunt nisi coniecturae.

1) Idem ut faciat, Vahlenus in praef. ed. librorum *de legg.* inclinat, cf. p. VI ed. alt.

rum, quae et ad agnitionem (A^2CM^3, agnitionem *om.* ad A^1M^1, ad cognitionem *BF*) pulcherrima est et ad moderandam religionem necessaria. De qua e. q. s.«

De coniunctivo »sint« dubitavit quondam Heindorfius, sed causa non erat, cf. Madvig. ad *de fin.* I 19, Schoemann. op. III 335, F. A. Wolf. Kl. Schr. I p. 498, et Merguetium inspicias; hic paucos afferam locos huic, de quo agitur, similiores: *pro Balbo* 29: »cum ex omnibus civitatibus via sit in nostram, cumque nostris civibus pateat ad ceteras iter civitates, tum vero, ut quaeque nobiscum maxime societate ... est coniuncta, ita mihi maxime communione beneficiorum ... contineri videtur.«

de off. III 5: »sed cum tota philosophia ... frugifera et fructuosa sit, tum nullus feracior in ea locus est ... quam de officiis.«

Itemque his locis etiam absque codicum auctoritate aut contra doctissimorum hominum coniecturas coniunctivus ponendus est: *De n. d.* II 107: »Eius cum totius sit praeclara species, tum inprimis adspicienda est figura capitis. (Etiam »tum« Schoem. rectissime addidit).

De leg. agr. II 81: »hoc agri Campani vectigal, cum eiusmodi sit, ut et domi sit et omnibus praesidiis oppidorum tegatur, tum neque bellis infestum nec fructibus varium nec caelo ac loco calamitosum esse solet.«

pro Mur. 56: Quae cum sint gravia, tum illud acerbissimum est e. q. s.«

Sed haec quasi in transitu, ea, de quibus dicere volebam, sunt verba: »quae et ad agnitionem animi pulcherrima est et ad moderandam religionem necessaria«. Nam ita nunc omnes fere legunt et Schoemannus legendum esse, op. III p. 291, probare voluit. Conferas etiam Heidtmanni »Beiträge zur Kritik u. Interpretation der Schrift d. Cicero *de nat. deor.*«, ann. gymn. Neustettin. 1858, quamquam ea, quibus hic totam sententiam interpolatam esse probasse sibi visus est, nihil valent.

Agitur igitur de ratione inter »cognoscendum« et »agnoscendum«, »cognitionem« et »agnitionem« intercedente. Utrumque verbum, si etymologiam respicimus, primo signi-

ficavit: »vermittelst äusserer oder innerer Sinne des Wesens einer Sache inne werden«. Paulatim autem factum est, ut, cum »cognoscere« totam significationis suae amplitudinem tueretur, »agnoscere« eam tantum cognitionem exprimeret, quae cum certo aliquo iudicio coniuncta esset, quod utrum verbis quoque enuntiaretur (»etwas anerkennen als das, was es ist oder sein soll«) necne (»etwas erkennen als das, was es ist«, et si iterum fit, »wiedererkennen«), non interesset. Quae cum ita sint, tria apparent: primum, si actio ipsa discendi exprimenda sit, unum »cognoscere« locum habere; deinde, si cognitio cum certo iudicio coniuncta exprimenda sit, »agnoscere« locum habere, atque unum, si sit »anerkennen«, cum si sit »erkennen« et »wiedererkennen«, ne »cognoscere« quidem excludatur; tum, eis locis, quibus ad utram significationem sententia inclinet, incertum sit, alia diiudicandi subsidia quaerenda esse, ut et communem et singulorum scriptorum usum loquendi et alia, quae nisi reperiantur, iudicium cohibendum esse. Nam sunt loci, quibus res omnino diiudicari non possit; velut Cicero *Luc.* § 86 de academicorum doctrina, qua nihil sciri, nihil percipi posse tradebant, agens dicit: »Quid? si in eiusdem modi cera centum sigilla hoc anulo impressero, ecquae poterit in agnoscendo esse distinctio? an tibi erit quaerendus anularius aliqui, quoniam gallinarium invenisti Deliacum illum, qui ova cognosceret?« Eiusdem libri conferas §§ 33; 46; 54; 56; 58; 84; itemque *de fin.* II 82 cum Madvigii adnotatione et V 41; 42; 43; 44.

Ceterum iam ab antiquis grammaticis de ratione inter »cognoscendum« et »agnoscendum« intercedente disputatum esse, docet Nonius, ed. Luc. Müller. I p. 432 (276 Merc.). Affert hic tres locos, quibus »cognoscere« idem atque »agnoscere« esse dicit, et suo iure: Verg. in Bucol.: »incipe parve puer risu cognoscere matrem«. — M. Tullius de re publ. I: »cognosce mehercule consuetudinem istam et studium sermonemque«. — Varro Sesquulixe: »vereor, ne me quoque, cum domum ab Ilio coxim revertero, praeter canem cognoscat nemo«. — Plures similes locos Naegelsbachius Lat. Stil. p. 447 collegit, etsi eum non de omnibus recte iudicare puto.

Apud posteriores scriptores inde ab Augusti aetate, ut est viventis et progredientis linguae natura, qua, cum usitatiora verba non iam sufficere videantur, alia longinquiora adhibentur, »agnoscere« magis magisque in usum venit, ut postremo a »cognoscere« vix dicerneretur. Itaque factum est, ut codices nostri, cum etiam litterae »agn« et »cogn« facile confunderentur, saepius utrumque praebeant. Hic duos afferam locos, quibus quid scribendum sit, diiudicari posse mihi videtur: *de legg.* I 25: »ex quo efficitur illud, ut is agnoscat (ut ignoscat *C*) deum, qui unde ortus sit, quasi recordetur agnoscat *AB*², recordetur cognoscat *B*¹*C*.«

Hoc constat, si cum »recordetur« alterum verbum coniungatur, longe praeferendum esse »agnoscat« non »cognoscat« vel, quod Schoemannus coniecit, »ac noscat«, sed mihi hic varia lectio »cognoscat« ad antecedens »agnoscat« adscripta videtur fuisse, quam falso inter Ciceronis verba receptam *B*¹ et *C* servaverunt, *A* paulo antecedentis memor in »agnoscat« mutavit; probabile hoc fit, quod etiam Lactantius, qui Ciceronis locum citat Inst. div. III 10_7 tantum »recordetur« habet.

Alter locus est *de rep.* II 45: »Hic ille iam vertetur orbis, cuius naturalem motum atque circuitum a primo discite adq. cognoscere.«

Haec tradita sunt in palimpsesto Vaticano, sed litteris »adq. co« postea deletis. »Discite agnoscere« Cicero non scripsit, nam haec inepta sunt. Contra quid scripserit, mihi quidem iam Nic. Maius recte cognovisse videtur: »discite atque cognoscite«, nam haec et talia saepius coniunguntur atque ITE in ERE facillime corrumpi potuit.

His locis addere mihi liceat tertium, quo de verbis quidem nemo dubitavit sed de sententia. Est *de nat. deor.* I 49: »Haec quamquam et inventa sunt acutius et dicta subtilius ab Epicuro, quam ut quivis ea possit agnoscere, tamen fretus intelligentia vestra dissero brevius, quam causa desiderat.« Adnotat Schoemannus »agnoscere« hic esse »als wahr anerkennen«; hoc rectum non est, sed intellegendum: »erkennen, wie es eigentlich gemeint ist.«

Sed satis exposuisse mihi videor, quae inter »cognoscen-

dum« et »agnoscendum« ratio intercedat, iam quaerendum est, quomodo se habeant substantiva »cognitionis« et »agnitionis«, atque dicendum est, »agnitionem« apud nullum scriptorem inveniri ante Plinium (N. H. X 90_{194}) et Quintilianum (I 1_{24}). Neque tamen ob hanc rem nec ideo, quod ne in inscriptionibus quidem, quod sciam, ante illud, quod commemoravimus, tempus legitur, credendum est hoc nomen non fuisse. Immo fuisse verisimillimum est, sed non nisi sensu iuridico, ut dicebant homines iuris consulti de »agnitione filii, debiti, al.«. Eo demum tempore, quo verbum »agnoscere« peculiarem notionem amisit, ut a »cognoscendo« vix discerneretur, etiam substantivum »agnitionis« saepius et eisdem ac verbum notionibus usurpatur. Antea eis omnibus locis, quibus »agnoscere« aptissime dici potuit, si substantivum positum est, non »agnitio« sed »cognitio« est. Veluti *ἀναγνώρισις* illa vel *ἀναγνωρισμὸς* ille in fabulis »cognitio« non »agnitio« dicitur; cf. Ter. Hec. 831 (V 3_{33}). Bacchis meretrix narrat:

»Rogat unde sit: narro omnia haec: inde est cognitio facta,
Philumenam compressam esse ab eo et filium inde hunc natum.«

Eun. 921 (V 3_{12}) Pythius dicit:

»Ibo intra, de cognitione ut certum sciam.«

Etiam Hygin. fab. 122: »cognitione Orestis facta.«

Ex Cicerone ipso hos locos conferas: *De nat. deor.* II 159; *de div.* II 149; *Luc.* 26; 54; 58; 110, ubi »nota« illa, quam Schoem. ad »agnitionem« sibi postulat, »cognitionis« dicitur; maxime autem: *de fin.* V 44: »Iubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmet ipsos; cognitio autem haec est una nostri, ut vim corporis animique norimus e. q. s.«.

Tusc. I 71: »In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.«

de fin. IV 36: »Quam ob rem utrique idem faciunt, ut, si laevam partem neglegerent, dexteram tuerentur, aut ipsius animi, ut fecit Erillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent.«

Tusc. V 70: »Haec tractanti animo et noctes et dies cogitanti exsistit illa a deo Delphis praecepta cognitio, ut ipsa se mens agnoscat coniunctamque cum divina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio completur e. q. s.«.

Postremo ne putaveris vocem »agnitionis« monachis illis, qui codices nostros descripserunt, inusitatius fuisse. Immo in sermone saepissime eo utebantur, quippe quorum permultum interesset, ut totius illius aetatis, deum suum christianum agnosci, vel magis interdum quam cognosci. Fortasse etiam II 153_{22}, ubi traduntur verba: »Quae contuens animus accipit ad cognitionem deorum«, in archetypo verbo »cognitionem« »ad« superscriptum fuit, »^{ad}cognitionem«, ut coniecturis, quas temptaverunt viri docti, opus non sit, sed eliminandum tantum illud »ad«; cf. II 140_{3}: »deorum cognitionem capere«.

Quibus rebus expositis quamquam dubium non esse potest, quin Cicero »ad cognitionem« scripserit, tamen ab altera parte »agnitionem« omnino non quadrare demonstrari potest. Nam quod dicit Schoem. »agnitionem animi« neminem non eam esse intellegere, qua animus agnoscatur, falsum est. Immo si de »agnitione animi« dicitur, semper Socraticae illius doctrinae admonemur, qua animus, quod discit, reminiscendo agnoscere traditur, cf. *Tusc.* I 57 e. q. s. Sed de hac re hoc, de quo nos agimus, loco Ciceronem non dicere, nemo non intellegit. Contra qua ratione quaestio de natura deorum habita ad cognitionem animi sive ad cognoscendum animum — quod item Cicero dicere potuit — pertineat curque ad eam pulcherrima sit, praeter alios locos *Tusc.* V 70 e. q. s. docent.

Sed ut ad codices nostros recensendos redeamus, Schoem. et omnes, qui ei assensi sunt, si, quid re vera in codicibus esset, novissent, haud scio an »ad agnitionem« ponere dubitaturi fuerint. Nam »ad agnitionem« tantum A^2CM^3 praebent, cum A^1 et M^1 (idem in *V* fuisse verisimile est) nihil nisi »agnitionem« habeant. Scriptorem codicis *B* in eo quem describebat libro ipsum quoque nihil nisi »agnitionem« legisse et felici coniectura rectum restituisse, credendum non est,

nam primum, si coniecisset, addidisset »ad«, quod fecerunt A^2CM^3, deinde reapse plura meliusque servata etiam in eis quae proxime sequuntur legit. Id igitur constat codici *B* hoc loco priores deferendas esse[1]). —

Iam supra commemoravimus, Heidtmannum l. c. verba »quae . . . necessaria« interpolata esse dixisse. Qua in re summo utitur argumento, quod pronomen relativum »De qua«, quo sequens sententia adiungitur, ad quodnam substantivum referatur, servatis illis verbis tam dubium sit, ut Ciceronem ita scripsisse credendum non sit. Sed ego nullam video difficultatem, ut multis locis, quibus ille aliquam esse opinatus est. Nam ipsa illa sententia relativa ad »quaestionem« adiecta huius verbi vim adeo auget, ut plus valeat quam »natura« atque etiam »De qua« ad se referri postulet. Pronominis autem ad substantivum longius antecedens relati hoc quoque conferas exemplum, II 140: »Ad hanc providentiam naturae tam diligentem tamque sollertem adiungi multa possunt, e quibus intellegatur, quantae res hominibus quamque eximiae tributae sint. Quae primum ex humo excitatos celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem caelum intuentes capere possent«[2]).

Sed pergamus. Totum igitur primi libri initium in

---

1) Sero vidi iam A. Goethium (Ciceronis de nat. deor. libri tres, für den Schulgebrauch erklärt. Leipzig 1887) et hoc loco lectionem codicis *B* a Schwenkio (Phil. Rundsch. 1885 p. 272, quem librum quod inspicere mihi non licuit, doleo) commendatam recepisse et paucis aliis: § 2 »de actione«, 28 »continentem ardorum«, 48 »pulcherrima est«, quae ut reciperentur, Deiterus (Mus. Rhen. 1882 p. 314 et »De Ciceronis codicibus Vossianis 84 et 86 denuo excussis« Auricae 1886 p. 75) monuerat, 49 »cernantur«, 71 »aut quid sit quasi sanguis« sua sponte, II 149 »dentes et alias« Schwenkio (l. c.) auctore.

2) Verba »a dis«, quae codices post »hominibus« exhibent, apertissime interpolatori debentur, nam omnino non quadrant, cum aliis de causis tum, quod Cicero hic distincte de natura eiusque providentia in homine fabricando elucente dicit, cf. 140 32; 141 19; 142 20, etsi alibi (velut paulo ante, § 133) deorum et naturae providentiam confundit. Cum autem verba illa tamquam genuina recepta essent, etiam relativum »quae« in »qui« mutatum est, verbum »constituit« integrum remansit, postea demum a C^2 et M^2 numerus pluralis positus est.

archetypo codicum nostrorum male servatum fuit. Nam videas, quae sequantur in codicibus:

AC habent: »De qua tam variae sint (sunt C^2) doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae magno argumento — *reliqua desunt usque ad* § 2 1 nam et de figuris deorum e. q. s.«

BFM habent: »De qua variae sint (B^1, tam variae sunt B^2FM) doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae magno argumento se debeat (B^1, ut magno argumento esse debeat B^2FM) causa principium filosophiae ad h scientiam (B^1, causa et principium filosophiae ad hanc scientiam B^2, *sed manus a consueto correctore diversa*, causa principium filosophiae scientiam *F*, causam id est principium philosophiae esse scientiam *M*) prudenterque achademi. (B^1, achademia B^2, achademici *F*, achademicos *M*) a rebus incertis adsensionem conbuisse (B^1, conhibuisse B^2, cohibuisse *FM*).«

Primum igitur maior lacuna est in *AC*, cum is, qui horum codicum archetypum (α) scripsit, multa non iam legere potuerit et maluerit nihil scribere quam fragmenta et falsa. De signo ea, quae omissa sunt, in margine, ubi iam evanuerint, addita fuisse significante, quod Baiterus in *A* post »argumento« adpictum esse dicit, Schwenkius nihil refert, et cum etiam in *C* illa verba omittantur, ne in α quidem fuerunt; sin autem in hoc non fuerunt, ab antiquo correctore A^2 postea addita esse non possunt, cum hic nullo alio codice nisi illo α in corrigendo usus sit (cf. infra); itaque si omnino in *A* illa verba addita fuerunt, recentiore tempore hoc factum erat.

Contra in *B* continuatur oratio, quamquam ea, quae proxime sequuntur, integra non sunt. Inde efficitur et, quod iam supra vidimus, codicem *B* vel potius parentem eius, β, prius quam α ex archetypo descriptum esse, et archetypum tum, cum β eo uteretur integriorem atque magis incolumem fuisse. Sed etiam in *B* gravis corruptela proxime sequitur, de qua permultum viri docti disputaverunt. Atque confertur fere locus quidam Aristotelis, Metaph. I, 2. Sed quamvis, quicumque Ciceronis libros de philosophia scriptos recte in-

tellegere vult, quaerere debeat, quae quoque loco Ciceronem inter et Graecos ratio intercedat cuiusque aut referens aut probans aut improbans mentionem faciat, tamen cavendum est, ne, cum tale quid investigasse nobis videamur, quid Cicero ipse dicere voluerit, quidque in codibus nobis traditum sit, neglegamus. Quod hoc de quo agitur loco factum mihi videtur esse. Nam prorsus diversi sunt locus ille Aristotelis et hic Ciceronis. Aristoteles de origine philosophiae disputat, Cicero Academiam suam commendat. Itaque de »causa« philosophiae cogitandum non est, sed corruptum est verbum. Reliqua igitur sunt: »principium philosophiae esse inscientiam«, nam haec pro eis quae traduntur: »principium philosophiae ad li scientiam«, scribenda esse, inter omnes constare videtur. Utitur autem Cicero verbo »inscientiae« pro termino, ut dicunt, philosophorum, ut Academicorum doctrinam, qua nihil certum sciri posse tradebant, significet, et »principium« est fundamentum, in quo struitur aliquid, vel unde disputatio aliqua proficiscitur aut proficisci debet, cf. *de fin.* IV 53: »Ut enim sit apud illos ... ordo rerum conservatus et omnia inter se apta et connexa, tamen persequi non debemus, si a falsis principiis profecta congruunt ipsa sibi et a proposito non errant«, et *Ac.* I 42: »quod natura quasi normam scientiae et principium sui dedisset«; alios similes locos facile invenias. Habemus igitur: »die ausserordentliche Mannigfaltigkeit der Meinungen über das Wesen der Götter ist ein schwerwiegender Beweis dafür, dass die grundlegende Voraussetzung, der Ausgangspunct aller Philosophie die Ueberzeugung von der Unmöglichkeit des absoluten Wissens sein muss«. Haec sana et optima sunt; verbum »causa« abundat nec a Cicerone scriptum sed spurium est. Atque iam, unde ortum sit, ostendemus. Primum enim in codice *B*, quo uno teste utimur, ante »variae« deest »tam«; deinde verbum »causa« grammatica ratione ad continuam orationem minime accommodatum est, atque etiam copula desideratur. Quae cum ita sint, dubium esse non potest, quin verbum »causa« nihil sit nisi illud »tam«, quod antea omissum et in margine adscriptum huc irrepserit, nam *tã* = »tam« et *cã* = »causa« facillime confunduntur.

In codice *α* totum locum defuisse scimus, ut, quod *A* »tam« habet et B^2 addidit, nihil probet. Rem ita, ut exposuimus, se habere, eo confirmatur, quod huc etiam alia ex eis quae antecedunt delata et inter verba continentia recepta videntur esse. Quid enim volunt sibi litterae »ad h« post »principium« positae? Neque ex »esse in-«, quae desiderantur, ea corrupta neque ex coniectura orta esse verisimile est, sed ex »ut hoc« depravata et ante »magno« inserenda videntur esse, ubi, ut sententia grammaticae legibus sufficiat, talibus opus est. Desunt haec etiam in *A*, ut dubitare non possis, quin hae corruptelae omnes ad archetypum redeant, qui, qua erat mala condicione, etiam primam paginam vexatam habuit, et illud »tam« in *α* coniectura suppletum sit, quod facillimum erat. Denique, ut rem conficiamus, hic ponam, quae Ciceronem scripsisse puto: »De qua tam variae sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae, ut hoc magno argumento esse debeat, principium philosophiae esse inscientiam prudenterque Academiam (sic scribendum videtur esse propter codicis *B* lectiones: achademi., *una littera deficiente,* B^1 *et* achademia B^2) [1]) a rebus incertis adsensionem conhibuisse.« —

Itaque videmus, quantum codex *B* ad restituenda Ciceronis verba auxilii nobis afferat, dummodo, quae genuina quaeque a B^2 correcta in eo sint, sciamus.

Sed augeamus exempla.

I 2₂: »Nam et de figuris deorum et de locis atque sedibus et de actione vitae (*BF*, et actione vitae *ACM*) multa dicuntur.«

Nemo dubitabit, quin »de« recipiendum sit, quod Baiterus quoque recepisset, si a *B* id praeberi scivisset. —

10₁: »Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt quam necesse est; non enim tam auctore (A^1, auctores A^2CM, auctoritatis *BF*) quam rationis momenta quaerenda sunt.«

---

1) De »Academia« pro »Academicis« usurpata cf. Orellii Onom. s. h. v.

Scribendum videtur esse: »auctoritatis«, nam primum multo melius coniunguntur »auctoritatis . . . rationis momenta quaerenda sunt« quam »auctores . . . rationis momenta quaerenda sunt,« deinde *A* saepius »-tas« et similia mutilat, ut paulo post, 26_{16}: »quasi . . . non omne, quod ortum sit, mortalitas sequatur (mortalis A^1).« Fortasse ut alii etiam hic exitus per compendium scriptus erat.[1] —

15_{12} et 48_{32} et 93_{26}: unus B^1 recte habet »est«, ceteri omnes »sit«, et 68_9 B^1 recte »est« habuisse videtur, cum ceteri omnes falso praebeant »sit«. —

28_5: »Nam Parmenides quidem commenticium quiddam coronae simile efficit — στεφάνην (stephanen A^2P, stephane A^1C, istefanen B^1, *anteposito* i, *ut in pronuntiatione* i *aut* e *ante* st *audiebatur*, et stefanen (steph. *M*) *mala coniectura* B^2FM) appellat — continentem ardorum (B^1, continentem ardorem AB^2CFM, *P prors. evan.*, *V deest.*) lucis orbem.«
Numerus pluralis »ardores« in Ciceronis libris ad philosophiam pertinentibus non nisi duobus locis invenitur *Cat.* 53, 14: »deinde maturata dulcescit (uva) vestitaque pampinis nec modico tepore caret et nimios solis defendit ardores (sie ist geschützt vor all zu gewaltigen Sonnengluten),« et *de nat. deor.* II 92_{25}: »Atque hi tanti ignes tamque multi non modo nihil nocent terris rebusque terrestribus, sed ita prosunt, ut si mota loco sint, conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus moderatione et temperatione sublata (so gewaltige Feuersgluten).« His tertius accedit is, de quo agimus, nam quae B^1 praebet »continentem ardorum lucis orbem« recipienda videntur esse.

29_{15}: habere] *BFM*, *om.* *ACP*.

34_{18}: . . . cuius in libris, qui sunt in natura deorum] *ACP falso*, de natura deorum *BFM recte*.

35_{31}: Recipiendum esse puto »et«, quod *BFM* ante »sensu« inserunt; qua re aptissime augetur vis verborum, nam utrumque maxime improbat Velleius in Stratone, quod »et sensu et figura« deum privet.

---

1) Cf. etiam Schwenkium, Burs. Jahresber. 1893 p. 232.

38_{23}: »At Persaeus eiusdem Zenonis auditor eos esse habitos deos a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa (*ACP*, aliqua magna utilitas *BFM*).«

Adhuc omnes editores verbum »aliqua« interpolatum esse censuerunt. Cur autem interpolatum esset, nemo dixit. Postquam diu quaesivi, hanc unam inveni causam: superscriptum esse potest comparato alio huius libri loco, § 101, ubi sunt verba: »Ipsi qui inridentur Aegyptii nullam beluam nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt.« Sed cur non dixerit hoc loco Cicero »aliqua magna utilitas«, ut *de fin.* I 32: »quia nonnumquam eius modi tempora incidunt, ut labore et dolore magnam aliquam quaerat voluptatem.«? Id constat, lectionem codicum *BFM* hoc loco non minus aptam esse quam codicum *ACP* et iniuria reici. —

41_{17}: partum Iovis ortumque] *BFM*, partu Iovis ortuque *ACP*.

44_{3}: fere] *BFM*, fieri *ACP*.

45_{14}: quaereremus] *B²FM*, quaererimus *B¹*, quaerimus *ACP*.

47_{29}: conformatio] *BFM²*, confirm. *AM¹P*, form. *C*.

48_{37}: nec ratio usquam inesse nisi in hominis figura] *BFM*, nisi nis fig. *A¹*, homi *add. in marg.* *A²*; nisi hominis fig. *PC*.

$49_{4 \text{ et } 5}$: »Epicurus autem, qui res occultas et penitus abditas non modo videat (*BF*, viderat *AMP*, viderit *C*) animo, sed etiam sic tractet ut manu, docet (doceat *Z*) eam esse vim et naturam deorum, ut primum non sensu sed mente cernantur (*B¹*, cernatur *AB²*, *ut vid.*, *et CFMP*, *V deest*) nec soliditate quadam nec ad numerum e. q. s.«

In archetypo fuit »doceat« propter antecedens »ut«; antea *α* praebet »viderat«, *β* »videat«, *C* prudentem coniecturam profert, cui tamen codicis *B* lectio »videat« propter cetera praesentia tempora anteponenda est. »Cernantur« autem recipiendum esse nemo erit quin concedat. —

59_{9}: accidebat] *BFM*, acciderat *ACP*.

66_{25}: »Ista enim flagitia Democriti sive etiam ante Leucippi, esse corpuscula quaedam levia, alia aspera, rotunda

alia, partim autem angulata, hamata quaedam et quasi adunca, ex his effectum esse caelum atque terram e. q. s.«

»Hamata« non est in codicibus, sed habent »firamata« *A* et *P* (in hoc correctum est »firmata«), »foramata« *C*, »curvata« *BFM*. Baiterus, Schoemannus, Mayor summo consensu »curvata« reiecerunt, praeoccupato scilicet animo, cum et ex codicum *ACP* lectione »firamata, foramata« archetypum hoc loco corruptum fuisse coniecturamque a *B* positam esse colligerent et collatis eis, quae Cicero *Luc.* 121 de eisdem atomis dicit: »Docet omnia effecta esse natura, nec ut ille, qui asperis et levibus et hamatis uncinatisque corporibus concreta haec esse dicat interiecto inani, e. q. s.«, hic quoque »hamata« corpuscula desiderarent. Sed primum quonam modo »firamata« ex simplici »hamata« fieri potuit[1])? Deinde quid tum velit sequens »quasi«? Prorsus falsum sit. Nam cum alteri adiectivo alterum per »et quasi« a Cicerone adiungitur, semper ea est ratio, ut prius generalis usitataeque sit notionis, posterius specialem satisque miram addat vim, quae ut aliquo modo imminuatur, orationis urbanitas postulare videtur. Cuius rei exempla omnia, quae in libris ad philosophiam spectantibus inveniuntur, hic conferas:

de nat. deor. II 144: »Sed duros et quasi corneolos habent (aures) introitus e. q. s.«

de div. I 130: »Nam si obscurior et quasi caliginosa stella exstiterit e. q. s.«

de fato 2: »ea, quae erant cotidiana et quasi legitima nobis e. q. s.«

Luc. 32: »Volunt enim probabile aliquid esse et quasi verisimile e. q. s.«

Acad. I 26: »ex iis (primis qualitatibus) autem ortae variae sunt et quasi multiformes e. q. s.«

Lael. 48: »qui virtutem duram et quasi ferream esse quandam volunt e. q. s.«

---

1) Mayor quidem »firamata« ex »pyramidata, hamata« ortum esse putat.

de off. II 43: »Quamquam praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse e. q. s.«

de fin. II 30: »sic enim has suaves et quasi dulces voluptates appellat[1].«

de rep. I 22: »et earum quinque stellarum (motus), quae errantes et quasi vagae nominarentur.«

II 47: »sane bonum rei publicae genus (regnum) sed tamen inclinatum et qnasi pronum ad perniciosissimum statum.«

Itaque »hamata et quasi adunca« Cicero non scripsit, nam »hamatus« nec latius patet neque usitatius dicitur quam »aduncus«; optima autem sunt, quae *B* praebet, »curvata et quasi adunca«. Sed unde ortum est illud »firamata«? an ex »curvata«? Minime. Immo fuit superscriptum »f̄ hamata« = »sive hamata«, quae *α* falso lecta recepit, ut solet superscripta genuinis praeferre; scilicet aliquis, qui hunc librum legebat, illius loci *Luculli* memor ex arbitrio id addiderat. Idem autem signum pro »sive« ac pro syllabis »ser« et »sir« et simillimum pro »fer« et »fir« usurpabatur, cf. Chassant, Dictionnaire des abréviations pp. 31 et 86; atque *s* et *f* facillime commutari vidimus p. 12.

67_8: punctis] *BFM*, cunctis *ACP*.

71_2: »in deo quid sit quasi corpus aut quid sit quasi sanguis intellegere non possum.«

Sic rectissime *BFM*, editores sine causa delent alterum »quid sit«; *α* omisit »corpus aut quid sit quasi«, cum ab altero »quasi« ad alterum oculis transiliret.

72_8: olet] *BFM*, floret *ACP*; cf. p. 9.

76_4; »Quod nulla alia figura domicilium mentis esse possit.«

B habet »nulla in alia figura«, quod mihi quidem melius et consuetudini linguae Latinae magis convenienter dictum videtur esse; quamquam certum iudicium facere nolo,

1) »Suavis« ad omnes sensus pertinet, »dulcis« tantum ad gustatum.

cum exemplorum colligendorum tempus me defecerit. Duo exempla, quae Merguetii lexicon praebet, hic ponam:

Post red. in sen. 17: »in qua urbe domicilium quondam superbiae fuit.«

Tusc. I 19: »alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum.« —

77_5: Primum igitur quidque considera quale sit] *BFM*, quidquid *A*, quicquid *C*, *et ob hunc errorem coniecerunt* consideras *AC*.

77_{11}: adire] *BFM*, adidre, *sed corr. 1, A*, audire *C*.

78_{20}: hominis] *BFM*, -ni *AC*.

79_3: exorientem] *BFM*, exoriente *C*, exurgentem, ur *in ras. et* m *add. 3, A*.

81_{18}: sic] *BF*, si *ACM*.

82_{25}: auditum] *C et, ut vid.*, B^1, *est enim in B* auditu*; auditu AB^2FM.

89_{19}: Beatum autem esse sine virtute neminem posse] *BFM*, *om.* esse *AC*.

91_3: seminane] *BF*, semina *ACM*.

95_{16}: dicenda est] BFM^2, dic. sunt ACM^1.

96_{24}: natura est] *BFM*, natura sunt *AC*.

110_5: Verba »quae nulla sunt«, quae *AC* omittunt, *BFM* exhibent, glossema non esse, rectissime defenderunt C. F. W. Muellerus et I. B. Mayor, quorum hic affert *de div.* II 71: »ut sint auspicia, quae nulla sunt.«

114_6: ne intereat] *om. AC*, cf. p. 14.

114_8: »Cumque ex ipso imagines semper afluant.«

Sic iam Usenerus, Epicur. adn. ad p. 235_3, recte scripsit, nunc scimus etiam B^1 »afluant« praebere, cum in AB^2CFMPV »affluant« sit.

116_{17}: allicere] elicere ACB^2FM; B^1 alicere *habuisse videtur, cum primum* e *verbi* elicere *a* B^2 *correctum sit.*

II 7_8: comprobabimus] B^1C, conprobavimus *A*, comprobavimus B^2FM.

10_3: crearet] B^1, recrearet AB^2CFM.

14_4: pestilentia] B^1C, pestilentie *A*, pestilaentiae B^2, pestilentiae *FM*.

29_8: quoque] $BFMA^2$, quo A^1PV, quoquo *C*.

42 5: id et] *BF*, id est $A^1M^1PV^1$, idem *C*, *sed* m *in ras. 2–3*, id M^2, eademque *spscr.* A^3, *ad* est *add.* que V^2.

48 30: potest esse] esse *om.* *ACPV*, po*| test esse, test esse *in ras. 2*, *B*, potest esse *FM.*

49 4: conficiat] *B* (confici*at, 1?), confeciat, iat *in ras. 3*, *A*, confectat *CP*, confecta *V*.

59 28: venis et] B^2FV^2, veni set B^1, *sine coniectura*, venis sed ACV^1M.

65 17: sublimen] suplimim (?) B^1, supplime *P*, sublime AB^2CFMV.

65 19: planius quam] *BFCP*, planius quem *A* (planus qu. A^1) MV^1, planiusque V^2.

65 23: caelo] *BFM* (celo A^2), melo A^1CPV.

66 1: alteri] alterum $A^1B^2CFMV^1$, altero, *fortasse recte (cf. Schoem.)* B^1V^2.

68 20: vescuntur] $BFMV^2$, vescunt APV^1; *C plura om.*

75 2: ducitur] *BF*, dicitur *ACMV*.

89 30: B^1 falsum illud »sicut«, quod ceteri omnes exhibent, non habuit, nam in rasura positum est a B^2.

93 30: innumerabiles] B^1, inenumerabiles AB^2CFMV.

104 17: Arateis] arates B^1, *sine coniectura*, *ceteri omnes coniecerunt* Arati eis.

109 26: Nepai] *B* (i *radendo ex* r *correctum*) A^3V^3, nepe A^1V^1, nepii *C*.

118 4: aut] $B^1F^2MA^3$, ut $A^1CPVB^2F^1$.

121 3: discriptio] disscriptio *BF*, descriptio *ACPVM*.

124 10: Omnes omittunt »que« post »eas«, in uno codice *B* vestigium eius remansit, scribit enim librarius »eas cum cum« pro »easque quum«, quae erant in archetypo.

133 3: Omnes falso habent »quaeret«, sed in *B* »eret« a B^2 in ras. scriptum est.

136 34: recepit] *BFM*, recipit *ACPV*.

136 4: »qui tum se contrahunt adspirantes, tum in respiratu (respiritu *Z*) dilatantur (B^1, dilatant AB^2CFMPV^1, tum se spiritu dilatant V^2.«

»Respiratu« rectissime Lambinus legisse atque Schoemannus Madvigii coniecturam »intrante spiritu« repellens in adnotatione et in appendice ed. IV. defendisse et explicasse

mihi videtur. Deinde V^2 non sine causa coniecturam temptavit, nam durius est, idem et unum »se« ad utrumque verbum referri. Accedit, quod »se dilatare« apud Ciceronem nusquam invenitur, sed semper »dilatari«, cf. *de nat. deor.* II 135$_{24}$; *de fin.* III 48$_{34}$; *de rep.* IV 22$_{2}$, ubi omnes codices »se gloria dilatari velit« habent praeter *T*(*egerns.*, *saec. XII*), qui »se gloria dilatare velit« praebet, quod Halmius falso recepit. —

147$_{36}$: »Quanta primum intellegentia, deinde consequentium rerum cum primis coniunctio et comprehensio esset in nobis, ex quo videlicet (*ACPV*, videmus *BFM*) quid ex quibusque rebus efficiatur idque ratione (*BCFM*^{2}, rationem *AM*^{1}*PV*; *cf.* III 85$_{5}$ ratione quadam] rationem qu. *A*^{1}*B*^{1}*V*^{1}) concludimus, e. q. s.«

Locus ita ut editur sanus non est: neque verba »quid ex quibusque rebus efficiatur« ex »concludimus« pendere possunt, — nam cum nusquam »concludere« cum sententia interrogativa a Cicerone coniungitur, tum »concludimus, quid efficiatur« prorsus absurdum est — neque »idque« »καὶ ταῦτα« esse potest. Altero igitur verbo opus est, unde pendeat sententia illa interrogativa, quod praebet nobis *B*, et nemo hoc loco offenderet, nisi a codicibus classis *α* illud »videlicet« nobis offerretur suspicionemque moveret, etiam archetypum »videlicet« habuisse et codicem *B* (vel *β*) coniecturam posuisse. Sed hoc aut ex falso lecto verbo »videmus« ortum esse potest, — et compendiis scripta haec verba simillima erant — aut aliquis, qui hunc librum legit, cum recte »videmus« hoc loco quodammodo δυνάμει tantum non ἐνεργείᾳ positum esse sensisset, »videre licet« superscripsit, quod *α* in »videlicet«, quae usitatior ei erat forma, contractum recepit. Itaque quae *B* praebet scribenda sunt: »ex quo videmus, quid ex quibusque rebus efficiatur, idque ratione concludimus«, »vermöge dessen wir sehen, was sich aus jeglichem folgern lässt und dieses dann als logischen Schluss formulieren«, nam hoc est »ratione concludere«; cf. *Luc.* 26: »Argumenti conclusio, quae est graece ἀπόδειξις, ita definitur: ratio, quae ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur, adducit«, et *de fin.* III 27: »Concluduntur igitur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile est:

quod autem laudabile est, omne est honestum: bonum igitur quod est, honestum est. Satisne hoc conclusum videtur? certe; quod enim efficiebatur ex iis duobus, quae erant sumpta, in eo vides esse conclusum.«[1]) —

149_{18}: »cum et dentes et alias (*BF*, et dentes et ad alias $A^1M^1V^1$, et ad dentes et ad alias $A^3CM^2PV^2$) partes pellit oris.«

Codicis *B* lectionem veram esse rectissime Schwenkius contendit, Phil. Rundsch. 1885 p. 273.

151_5: Quamquam omnes praeter V^2 *f* et *s* hoc loco confundunt, tamen $ACPV^1$ etiam accusativum »confectionem« falso ponunt, cum *BFM* ablativum servent.

151_7: partim ad] *BF*, partim et ad *ACPMV*.

156_{13}: est et] BCV^2, esset AV^1FM.

159_4: mulorum persequi] B^1C, *AV ante* mul. *primo interpolaverunt* si, *quod postea erasum est*; si mulorum persequar, *aperta cum coniectura* B^2FM.

III 4_{21}: parum] *BFM*, parvam A^1V^1, parva CV^2, paraveram A^3.

9_{15}: velles] vellis B^1, velis AB^2CFMPV.

11_3: praesentis] $BFMCA^2V^3$, praeseritis A^1B, presertis V^1; praes. V^2.

13_{22}: $BFMPV^2$ recte »requiro« addere cum Schoemanno et aliis existimo, ACV^1 omittunt hoc verbum.

14_{31}: commemorabas] $BFM^2C^2PV^2$, commorabas $AC^1V^1M^1$.

16_{14}: »Nam Cleanthes quattuor modis formatas in animis hominum putat deorum esse notiones. Unus is (*ACP*, his V^1, ex his *B*) modus est e. q. s.«

Scribendum videtur esse: »Unus ex his is modus est e. q. s.«, cum in archetypo fuerit: »Unus ex $\overset{\text{is}}{\text{his}}$ modus est.«

24_{17}: non] B^1, nonne *ceteri omnes*.

25_{21}: aram] *BFMC*; *in α scriptum erat* aramam, *idem praebent* AV^1, *falso coniecerunt* aram aut *P*, arenam V^2.

---

1) Cf. de hoc loco etiam Goethium, Fleck ann. 1888 p. 482.

25_{26}: qui id] *BFM*A^2C, quid *falso* A^1P *et simile aliquid* V^1 *habuit, nam* V^2 *in rasura coniecturam posuit:* non possit quicquid id efficit.

41_{32}: ». . . quem (Liberum) tamen Homerus apud inferos conveniri facit ab Ulixe, sicut ceteros, qui excesserant vita. Quamquam quem potissimum e. q. s.«

In archetypo littera *x* pro *t* posita (cf. p. 11) coniectura fuit: ». . . qui excesserant vix aquā quam.« Haec una lineola ¯ omissa B^1 servavit (»vita« in ras. et littera *n* verbi »quanquam« supra lineam a B^2 posita sunt), *α* autem addidit aliquid coniecturae, cum »excesserat« pro »-ant« scriberet verbum ad Ulixem referens. *P*, qui correctorem passus non est, etiam nunc habet: »qui excesserat vix aquam. quam . .«, eadem fuerunt in A^1V^1, nam in *A* »ta« in ras. ab A^3, in *V* »vita« in ras. a V^3 posita sunt.

43_{12}: *ACPV* post »capedunculis« omittunt »iis«, *BFM* habent »his«, quod idem est ac »iis« cf. p. 13.

52_{11}: iam] *B*, tam A^1(?)*CMPV*, tum, *pessima coniectura*, A^3.

52_{13}: terra mare] *BFM* (terrā are B^1), terra mater *ACPV*.

54_1: Mnemosyne] m nemo sine *BFM*, nemo sine *ACPV*.

54_4: quo] *BFM*, quos *ACPV*.

62_{16}: qui ista] *BF*A^2V^2, quiqui ista A^1PV^1M, quiquam ista *C*.

64_{35}: »Omnis igitur talis a philosophia pellatur error, ut, cum de dis immortalibus disputemus, dicaliusu ignais (*ACP*V^2, dicaliusus ignais C^2, disputemus — immortalibus *propter* immortalibus *bis repetitum omisit* V^1, dic alio usu ignaeis V^{3-4}, dicamus digna diis *BF*M^1, dicamus indigna diis M^2) immortalibus.«

De sensu loci Madvigius acutissime hoc se tenere ait, »ut« referri ad »talis« itaque subici significationem rei non rectae. Deinde autem quod pergit eximius ille vir, non bis positum fuisse »diis immortalibus«, haud scio an non prorsus ei assentiendum sit. Videtur enim cum vi quadam Cicero eadem verba repetivisse, quasi dixerit: »ut cum de dis im-

mortalibus disputemus, dicamus indigna divinitate atque immortalitate eorum.« Monstra autem illa »dicaliusu ignais immortalibus«, quae iam *α* habuit, ipsa quoque ad nihil aliud redeunt nisi ad »dicamus digna diis immortalibus«, quae, cum syllaba »in« in archetypo membrana laesa iam evanuisset, *β* servavit, *α* corruptela aucta legere non iam potuit. Itaque scribendum esse puto: »ut, cum de dis immortalibus disputemus, dicamus indigna diis immortalibus [1]).«

65_{14}: istac ibis] B^1 *et* P (ista cibit), is tacebit *coniecit* C, ista ibit AV^1B^2FM; V^2 *in marg. add.* al. isthaec, *sed* h *erasum est.*

71_{18}: non enim ut] $BFMV^2A^3$, non ut enim *mutato ordine* C, *sed prorsus corrupta sunt verba in* A^1PV^1: non em . . . A^1, nonem u (*vel* ut ?) V^1, non em cui P; *cf. p.* 12.

73_8: Sive cum Müllero »nec quid inde«, sive cum Schoemanno et Baitero »neque ut inde« ponimus, certe pravam coniecturam praebent ACP, »neque unde«, cum B^1 (neq; ui tinde«) et V (»neque tinde«) tradant, quae ipsi alter in *β*, alter in *α* legerunt. Sed codicum lectione res non diiudicatur, nam in ea et »nec quid inde« et »neque ut inde« latere potest.

78_{24}: illam] BFM, aliam $ACPV$.

83_1: felix] BFM, filiam AC^1PV, filica C^2.

84_{21}: pecunia edixisse] B^1, *et* (pecuniae dix.) V^1 *et* V^3, pecunia dixisse *reliqui.*

84_{26}: »atque in suo lectulo mortuus (Dionysius) in typanidis (APV, timpanidis C, tyrannidis BFM) rogum inlatus est.«

Τύμπανιν(*-ιδα*) vel *Τυμπανίδην* (ut *Ἀλκιβιάδην*) nomen proprium graecum esse credat, quicumque volet, equidem non credo; neque dubium mihi est, quin archetypus »tyrannidis« habuerit, quod *β* servavit [2]). Sed num hoc rectum sit,

---

1) Goethius in editione sua »dicamus digna dis immortalibus« nullo verbo mutato posuit.

2) *p* et *r* saepius commutantur, cf.: II 78_{25}: rem publicam] p p.

et si rectum, quid sit, adhuc nescio; certe omnis coniectura hinc proficisci debebit. Ex magno autem numero doctorum virorum, qui ingenio suo confisi huic loco mederi conati sunt, acumen tetigisse nemo mihi videtur.

87 21: In α exciderat »laudi« et in margine adscriptum erat; itaque A^1 hoc verbum omisit, *P* et *M* falso loco inseruerunt; β integer fuit.

89 7: In α propter cetera »-is« falso etiam pro »multi« positum erat »multis«, quod CPV^1 praebent; A^2 *s.* addere coepit, sed rursus induxit; β integer fuit.

93 12: gentis] *BFM et* A^2 (gentes), sentis A^1CPV 1).

Quibus exemplis collatis satis elucere puto, quantum auxilii codex B^1 ad Ciceronis verba restituenda nobis afferat. Loci autem, quibus eum interpolatum esse dicas, perpauci sunt. Immo prae se fert speciem libri ab homine scripti, qui nihil ingenio et doctrina fisus temere mutavit, sed sedulo atque religiose ea quae legit servavit. Cuius rei quae iam occurrerunt nobis exempla hic paucis augeam:

I 5 34: ut earum] *C*, et earum *A*, uetearum B^1, e^{u}tearum *archetypus*.

80 12: »Detur id vobis: num etiam una est omnium facies? nam si plures, aliam esse alia pulchriorem necesse est. Igitur aliquis non pulcherrimus deus. Si una omnium facies est, e. q. s.«

Sic *AC*; *BFM* habent: »nam et si plures.« Apparet

A, rem p. *B* (*sed* rem *in ras. 2*) *et F*, .. r. p. *V*; 120 26: si propter] sipporter A^1V^1, si proter B^1, sipportet *CP*; III 47 28: repudiemus] rerudiemus A^1; 77 20: proraus] propsus B^1.

1) Cf. etiam haec minora: II 24 26: his] *BFM*, hiis *APV*, iis *C*; 29 2: ἡγεμονικόν] hegemonicon *BF*, egemonicon *APVM*, egeminicon *C*; 47 24: κύκλος] cyclus *BF*, ciclus *ACMPV*; 94 36: ποιότητα] poeoteta *BM*, poeotaeta *F*, poetiteta *A*, poetoteta *V*, poeta *C*; 136 27: eaque ad] *BFMP*, ea quae ad *ACV*; 138 22: ventriculum] *BFM*, venterculum *ACPV*; 138 24: ex his] *BFM*, ex iis *ACPV*; 141 13: vicinitatem oris] $BFMA^2C^2V^2$, vicinitate moris $A^1C^1PV^1$; III 74 14: at se] *BFM*, ad se *ACPV*.

»et« pro »nam« coniectum et superscriptum fuisse ab aliquo, qui sententiarum rationem non intellexisset; quam coniecturam *B* iuxta genuinum »nam« posuit, *α* omisit.

114 ₃ : »Cogitat, inquiunt, adsidue beatum esse se; habet enim nihil aliud, quod agitet in mente.«

In B^1 cum recte sit »habet« (habebet *A*, habebis B^2FM), legimus: »Cogitat, inquiunt, adsidue beatum esse si haec enim duae beatum habet nihil . . .« Quae quomodo orta sint, si quaerimus, hoc dicendum est: »haec enim« esse »habet enim« et »si . . . duae« esse repetita ex »adsidue«. Diligentius de hac re quaerere operae pretium non est.

122_{13}: hominum caritas et amicitia gratuita est] AB^2 *CFM*, hominum animum caritas B^1.

In archetypo aut pro »hominum« leni errore »animum« scriptum et postea »hominum« superscriptum aut »animorum« explicatio addita fuit.

II 7_5 : Quae in margine adscripta erant, ubi inserenda essent, *B* vel iam *β* non multum curavit, ut quinque illa vatum nomina »Mopsus — Helenus« hoc loco omissa versu 18 post »paruissent« interposuit.

50_{19} : B^1 verba »tum defectibus in initia recurrendo« hic omissa versu 21 post »cursu« interposuit.

66_8 : B^1 duplicem praebet lectionem: »Datum est igitur Neptuno . . . maritimum marium omne regnum.« »Maritimum« autem, quod etiam ceteri habent, sine dubio praeferendum est.

79_{33}: »unde haec in terram nisi ab superis (*ACV*, ab his superis *BFM*) defluere potuerunt?«

Cf. p. 10; aut superscriptum fuit »a dis«, quod ut I 4_{27} in »ab his« corruptum est.

89_{29}: iuvenibus visis auditoque] iuvenibus suis isauditoque B^1.

116_{23}: ipsae per se atque inter se] ipsa eatque per se inter se B^1.

»Per se«, quae superscripta erant, falso loco inserta sunt, quod eo facilius erat, quod »ipsaeatque« in archetypo fuit.

III 94_{28}: Sed quoniam advesperascit, dabis nobis diem] dabis nobis cito dabis nobis diem B^1.

Apparet hic librarium, qui, cum iam ad finem libri properaret, minus attentus esset, complura bis posuisse atque etiam »cito« nihil esse nisi syllabam »cit« verbi »advesperascit.«

Coniecturae, quae in B^1 inveniuntur, omnes eiusmodi sunt, ut genuina vix obscurentur, sed facile cognoscantur Cf. e. gr.:

I 1_{8}: »Quid est enim temeritate turpius (forcius *BF*, fortius *M*, *α deest*) aut quid e. q. s.«

Mirandum est, quod F. A. Wolfius aliquando »fortius« retinendum esse contendit. Praeter *Acad.* I 45 et *Luc.* 66, quae Baiterus attulit, cf. etiam *de div.* I 7: »Nam cum omnibus in rebus temeritas in adsentiendo errorque turpis est, tum e. q. s.« Facilius autem, quam putes, illa verba confundebantur, cf. II 127_{16}: stirpe] forte *C.* Ceterum, utrum a *B* demum »fortius« ex »turpius« corruptum sit, an iam in archetypo fuerit, cum *α* prorsus desit, certo scire nequimus.

II 59_{26}: nec cessantium] *CV*, necessantium *A*, non cessantium *BFM.*

96_{19}: Aetnaeorum] ethnaeorum *A*, aeterna eorum B^1 (*antecedit* eruptione), aethnaeorum B^2V, aethneor. *CF.*

131_{23}: generi, eis denique omnibus *CV*, iisdemque *A*, iidemque B^1, isdemque B^2F, hisdemque *M*, is denique *P.*

III 11_{5}: homines] non nomines B^1.

30_{29}: nihil esset cereum, quod commutari non posset[certum *habuit archetypus*, non *om.* B^1.

Postremo unum glossema, quod B^1 inter Ciceronis verba receptum praebet:

I 58_{34}: de familiare illo tuo] *ACP*, de lucio crasso (gr. B^1) illo familiari tuo *BFM*,

certissime iam in archetypo fuit et ab *α* omissum est. Ceterum de hoc loco accuratiore disputatione opus est, vereor enim, ne quaenam sit corruptela, adhuc cognitum non sit.

Videmus igitur codicem B^1 audaciorem pro genuinis verbis coniecturam vix usquam posuisse, sed multis locis, quibus alterius generis

codices corrupti sunt, veram lectionem praebere et sine dubio pluris quam *A* faciendum esse, atque puto, etsi B^1 paulo inferioris quam *A* aetatis sit, tamen *β*, unde originem duxit, vetustiorem priusque ex archetypo codicum nostrorum omnium derivatum esse quam *α*, ex quo *ACPV* fluxerunt.

De correctore B^2.

Difficile est de correctore B^2 recte iudicare. Quamcumque paragraphum inspicies, semper multa invenies a B^2 correcta, quae falsa aut erant aut ei videbantur esse. Atque tanta est multitudo locorum, quibus verba a B^1 omissa recte addiderit, falso addita deleverit, corrupta restituerit, mendosa emendaverit, ut omnino dubitari non possit, quin codice in corrigendo usus sit[1]). Quem codicem alterius classis *α* fuisse manifestum est. Primum enim B^2 II 15_{20} lacunam illam fasciculorum perturbatione ortam prorsus eodem modo atque *ACPV* explere conatur, cf. p. 16 ss.; deinde multas et falsas codicum *ACPV* lectiones in codicem *B* transfert; tum omnibus fere locis, quibus etiam *ACPV* gravius corrupti sunt, nihil medelae affert, sed aut utroque oculo conivet, aut coniecturas vel audacissimas profert. Harum e. gr., cum multas notaverim, hic paucas ponam:

I 13_{36}: ut in synefebis *A*, ut in sinefebis B^1C, ut terentius in efebis B^2 [2]).

50_{16}: etiam] *C et in ras.* A^3 (A^1 *obsc.*), ettam B^1, tum B^2.

93_{36}: Silum] *C*, sillim *A*, sive *B*, ve *in ras.* 2. — Quid scribendum sit, adhuc nescimus.

---

1) Ex altero libro plus 300 locos a B^2 tractatos notavi, inter quos 250 fere recte emendatos, ex tertio 250 fere, inter quos 200 fere recte emendatos.

2) Codicum *FM* lectionem, cum hic fere nihil valeat, omitto, itemque correctorum A^3 (saec. XIII) et V^3 (saec. XII), nisi quadam de causa eam cognosci interest.

122_{17}: vovemus] C, movemus A^1B^1, movemur B^2.

II 68_{19}: vi di] divi B^2.

86_{18}: ecferant] V^1, et ferant AC, haec ferant B^1, haec ferat B^2, eo ferat V^2.

159_{37}: est] CVA^3 (*supra rasuram unius litterae*), sunt B^1, *quod* B^2 *delevit*.

159_1: fabricarier ensem] A^3M^2, fabricari ferensem A^1B^1C *et, ut vid.*, V^1, fabricari ferre ensem B^2FM^1, fabricari ferro ensem V^3.

159_4: Longum est mulorum persequi utilitates] B^1, L. e. ** mulorum persequi utilitates AV (si *eras. in A et, ut vid., etiam in V*), L. e. si mulorum persequar utilitates B^2.

III 9_{12}: coniveres autem] contueres autem AB^1CV^1, contuerer autem B^2, contuereris (?) autem V^2, autem contueres P.

64_{34}: a philosophia pellatur] V^2, a philosophi (filosofi A^1, philosophy B^1) appellatur AB^1V, a philosophi talis app., *sed* talis *del. 1*, C, a philosophis appellatur P, philosophia appellatur B^2.

69_{30}: quoniam pestifera est multis, admodum paucis salutaris] sint *pro* est A^1BPV^1, sit A^2CV^2, salutaria B^2.

70_6: quisquamne istuc] V^2, quisquam iuste, m *et* iuste *in ras. 3*, A, quisquas istuc (-ud B^1) B^1PV^1, quisquam istuc *corr. 2 ex* -ic C, quis istuc B^2.

83_5: idque] atque AB^1CPV, atqui B^2.

84_{23}: impietatem] impletatem $A^1B^1V^1$, impletam C, impleta temeritate B^2.

Iam si de vi ac natura illius quem B^2 adhibuerit codicis accuratius quaerimus, Schwenkius credit, B^2 ipso codice A usum esse, quem in eiusdem monasterii bibliotheca asservatum esse verisimillimum est[1]). Atque recte eum iudicasse dicas, si hos respicias locos:

I 6_{17}: philo] BC, pililo A, vel pililo B^2 *in marg.*

78_{25}: vexit] A, *sed* it *in ras. ampl. 3, et* C, vexet B^1, vexerit B^2.

---

1) Cf. praef. app. crit. p. 8.

84_{11}: nescires] *C*, nesciris A^1, nescis A^2B (*sed. post.* s *corr.* B^2.

114_8: esse se, habet enim nihil] *C*, esse (esse se *2.*) habebet enim nihil *A*, esse si haec enim duae beatum habet nihil B^1, esse se habebit enim nihil B^2.

115_{11}: P. Scaevolam] pscaevolanum *A*, pscevolam C^1, p. scev. C^2, scaevolan B^1, scaevolanum B^2.

124_{30}: valeat] *pr.* a *in ras. 3*, *A*, veleat B^2 *in ras.*

II 7_6: Amphiaraum] amphilaraum B^1, amfiar. C, amfiraum AB^2.

7_8: conprobabimus] comprobabimus B^1C, conprobauimus *A*, comprobauimus B^2.

14_4: pestilentia] pestilaentia B^1, -ae B^2, pestilentie *A*.

64_8: aetas] etas A^1, etates A^2, aetates *B*, -ates *in ras 2.*

71_{17}: poterunt] B^1CV, poterant AB^2.

72_3: eadem quae in] B^1C^2V, eadem quem in C^1, eademque in AB^2.

85_7: perdiuturna] B^1CV, diuturna AB^2.

108_{20}: Anguitenens] anguitenentis A^2B^2.

115_{11}: alia quae] $A^1B^1C^2PV$, alia quam (?) C^1, aliqua A^2B^2.

121_{30}: pastum] B^1CPV, pastus AB^2.

III 53_{30}: Melampus et Tmolus] melampus oviolus AB^2, meviolus B^1, melampus eviolus *CPV.*

56_{28}: Theuth] thein B^1P, theyn AB^2, theyr *CV.*

59_{28} et 60_{31}: Anteros] A^1B^1CPV, anteneros A^2B^2.

89_5: quidam] A^2B^1CPV, quidem A^1B^2.

Sed ipse, quamvis primo Schwenkio prorsus assensus sim, nunc ut ab hac re ut ab incerta assensionem cohibere malim, tribus potissimum causis commoveor. Primum enim illorum 21 quos attuli locorum — atque omnes eius modi me collegisse puto — tantum octies (quorum locorum numeri proni positi sunt) omnes codices servati sunt, quater *P*, novies *P* et *V* desunt, ut, utrum ab his quoque eadem lectio correctori oblata sit, an unius codicis *A* propria sit, nesciamus; illi autem octo loci rem conficere non videntur.

Deinde, ut id omittam, quod B^2 compluribus locis nihil mutavit, quibus A aut rectam aut valde discrepantem curiosoque, ut fuit B^2, homini satis memorabilem lectionem praeberet, non parvus est numerus locorum, quibus B^2 non cum A, sed cum C et P et V congruat:

Cum C:

I 70_{23}: dicere turpius] B^2C, diceretur plus AB^1, diceretur pius P^1, diceretur prius P^2.

110_{7}: non possent] B^2C, non possint A, non possunt B^1.

112_{15}: ni] B^2C, ne AB^1.

II 2_{12}: aveo] C^2, abeo AB^1, habeo B^2C^1.

18_{21}: ne cogitari] negotiari A^1P, necotari B^1, nec cogitari B^2C.

66_{8}: portu] B^2C^2, porta AB^1C^1PV.

136_{36}: accepit] AB^1PV, accipit B^2C.

158_{21}: ni] B^1V, nisi B^2C.

III 41_{32}: excesserant vita. Quamquam] excesserant vita quanquam B^2C; *de cet. cf. p. 40.*

68_{17}: quem clam Thyestem] quamd*m thiestem B^1, quendam thiestem B^2C; *de cet. cf. p. 11.*

Cum P:

I 63_{1} nonne aperte] B^2P, nonne a parte AC, non ea parte B^1.

66_{22}: veri tamen similiora] A^2, veri simili tamen similiora B^2P, veri simile tamen similiora A^1B^1, veri simile tamen si meliora C.

III 50_{17}: atque] AB^1CV, atqui B^2P (*Cf.* 83_{5}: idque] atque AB^1CPV, atqui B^2, *et* 84_{25}: atque] A^1B^1CPV, atqui A^2B^2).

Cum V:

II 18_{14}: apparet] B^2V^2, appareat AB^1CPV^1.

31_{15}: cum] B^2V *et in ras.* A^2, *om.* B^1, quin CP.

59_{28}: venis et] B^2V^2, veni set B^1, venis sed ACV^1.

81_{17}: nanctumque] ACV, nantumque B^1, nactumque B^2V^2.

83_{36}: quacumque movemur] B^2V^2, qua movemur AB^1CV^1.

III 8_{2}: esset perspicuum] B^2V^2, est persp. AB^1PV^1, et perspicuum *C*.

29_{27}: dissolubile] B^2V^2, dissoluibi**li A^1, dissoluibile $A^2B^1CPV^1$.

51_{3}: Arqui] $A^1B^1CPV^1$, arcui B^2V^2.

83_{6}: qui cum ad] B^2V^{2-3}, qui quod ad AB^1CPV^1.

90_{19}: a posteris] AB^1CPV^1, ac posteris B^2V^2.

Cum *CV*:

II 59_{27}: molientium] B^2CV^2, mollentiam *A*, molenciam B^1, mollentium V^1.

61_{10}: Ligustico] B^2CV^2, legustico AB^1V^1.

Q.] B^2CV^2, quae *A*.

101_{28}: effluens] B^2CV, efluens AB^1.

137_{8}: ad iecur eique] B^2CV^2, adiecorique (-quae V^1) AV^1, adiecoraeque B^1, iecorique *om.* ad *P*.

163_{3}: debebant] AB^1V^1 *et* debeant *P falso*, debebunt B^2CV^2 *recte*; *cf. p. 70.*

166_{24}: et civitatibus] B^2CV^2, et in civ. AB^1PV^1.

Cum *PV*:

III 15_{4}: placari] B^2PV^2, placeri AB^1V^1, placere *C*.

39_{8}: inscitiam] B^2PV^2, inscitam AB^1V^1, insitiam *C*.

46_{17}: fanum] B^2PV^2, fanus A^1CV^1, fanu A^2B^1.

Cum *CPV*:

II 54_{27}: ut vi sua stellas] B^2CPV, ut visu stellas A^1B^1; *quid* A^2 *correxerit, incertum est.*

64_{11}: pater quem] $B^2C^2PV^3$, partemque *A et sine dubio* V^1, partemquae, *ut vid.*, B^1.

124_{30}: anitum] AB^1V^1, anetum] $B^2C^1PV^2$, anatum C^2.

141_{15}: natura] B^2CPV^2, naruta AV^1, *natura (i *erasum*, tura *in ras. 2*) *B*.

III 11_{29}: grave] B^2CPV^2, gravem AB^1V^1.

92_{36}: at subvenire] B^2CPV, ab subv. B^1, at subvenire, t s *in ras. 3 A*.

Tum non desunt loci, quibus B^2 aut unus rectam aut propriam praebeat lectionem, velut:

I 2_{1}: dinumerare] B^2, innumerare B^1, *AC desunt.*

28_{2}: reprehenditur] B^2, repraehenderetur *AC*, repreh. B^1, *P evanid.*

44_{4}: fateamur] B^2, fatemur AB^1CP.

45_{14}: quaereremus] B^2, quaererimus B^1, quaerimus *ACP*.

49_{1}: inventa sunt] AB^1CP, i. sint B^2.

56_{20}: metuimus] B^2, metuemus B^1CP *et corr. ead. man. ex* metuimus *A*.

67_{2}: langueat] *ACP*, languat B^1, languet B^2.

114_{6}: non vereatur iste deus beatus ne intereat] B^2, non vereatur iste deus beatus *A*, non moveatur iste deus beatus *C*, non vereatur (*vel* vereat ?) deus ne intereat B^1.

117_{28}: liberari] B^2, liberare AB^1C.

120_{24}: mentis quae] B^2, mentes quae A^2B^1, mentesque *C*; A^1 *plura om.*

II 5_{15}: opinionis] *C*, opinione AB^1, opinionum B^2.

13_{32}: informatas] AB^1C, formatas B^2.

61_{7}: ipsa] B^2, ipsa vis *ACV*; B^1 cum omittat »inest maior — ea ipsa«, legit verbum »vis« in codice, quem describebat, nam a praecedente »vis« in sequentem oculis transiluit.

87_{27}: faciet] B^2, facit AB^1C.

87_{28}: non] B^2, *om.* AB^1C.

103_{6}: degrediens] $AB^1C^2V^2$ (C^1V^1 *om.*), digrediens B^2.

110_{33}: cui] B^2, cuius AB^1CV (*cf.* 110_{18} cuius] cui *C*).

122_{14}: elefanto est quia] C^2, etiam elef. data est quia C^1, elefantos quia AB^1V^1, elefanto quia B^2, elefantis quia PV^2.

141_{15}: qua esculentis] AB^1CPV, quae esc. B^2.

III 14_{26}: tamen] AB^1CPV, tam B^2.

15_{9}: audivi: tibi si] A^2V^2C, *ceteri leniter corrupti*, audivit quam si B^2.

29_{18}: quem ad modum] B^2, quae ad m. A^1B^1CPV.

44_{22}: aiebat] B^2, agebat AB^1CPV.

45_{10}: et Rhesus] B^2 (rhe *in ras.*), ethesis A^1, etheseus A^2CPV^1, et theseus V^2.

52_{18}: terra mare] B^2, terrā are B^1, terra mater *ACPV*.

63_{27}: quidque] B^2, quique AB^1CPV.

80_{16}: C. Marius Q. Catulum] B^2, c. (g. V^2) mariusq; catulum AB^1V^1, c. marius qui cat. *P*, c. mar. catulum *C*.

83_{6} : qui cum ad] $B^2(V^{2-3})$, qui quod ad AB^1CPV^1.

87_{25} : saluos – 88_{26} Herculi] *om.* B^1, *suppl.* B^2, *sed verbo* quisquam *omisso.*

Quarum scripturarum quamvis multas etiam coniectura inveniri potuisse dicas, tamen reliquae erunt, quas ex codice haustas esse vix quisquam neget.

Restat exponere, quomodo B^2 se habeat in tradendis versibus Arateis, lib. II 104_{20}—114_{8} et 159_{37-2}. Manifestum autem est, eum aut eius fontem ex Arateorum aliquo codice complura recepisse. Sed singulos oportet tractemus locos.

107_{9} : »Opstipum caput ac tereti (*Klotzius*, at tereti *Madvigius*, atereti *Z*, *sed in B corr. 1 ex* ateriti) cervice reflexum
Optutum in cauda maioris figere dicas.«

Cf. Arat. Phaen. 58:

λοξὸν δ' ἐστὶ κάρη, νεύοντι δὲ πάμπαν ἔοικεν
ἄκρην εἰς Ἑλίκης οὔρην, μάλα κτλ.

B^2 correxit : »Ast ipsum caput atereti cervice reflexum e. q. s.« Quin haec sit audax coniectura, tum facta, cum am »ac tereti« in »a tereti, atereti« corruptum fuerit, dubium non est, neque tamen ipsius B^2 ingenio eam deberi, sed aliunde sumptam esse puto, nam si ipse coniecisset, ne »atereti« quidem incorrectum reliquisset. —

108_{20} : »Atque haec quidem a tergo, propter caput autem Anguitenens:
Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graii.«

B^2 et A^2 correxerunt »Anguitenentis«. Hoc ex versu sumptum esse iam Hugo Grotius sensit, cum Ciceronis Aratea supplens versum 76 poneret:

»Juxta humeros Sertum est: propter caput Anguitenentis,
Quem claro e. q. s.« (*sc.* caput est)

Cf. Arat. Phaen. 74:

Νώτῳ μὲν Στέφανος πελάει κεφαλῇ γε μὲν ἄκρῃ
σκέπτεο πὰρ κεφαλὴν Ὀφιούχεον κτλ.

Nos hanc lectionem nullo modo recipiemus, sed non abest suspicio correctores A^2 et B^2, vel eorum fontem, co-

dice Arateorum usos esse, in quo incolumia essent, quae in nostris codicibus Arateis non sunt. —

109 23: Atque eius ipse manet] AB^1CV, Eius et ipse manet B^2.

Etiam haec est coniectura ab homine non indocto facta, qui, »Atque eius« propter versum tolerari non posse putaret; mihi indidem petita videtur esse unde 107 9 et 108 20. —

109 26: Nepai] B^2 (A^3V^3), nepar B^1, nepe A^1V^1, nepii *C*.

B^2 veram lectionem coniectura invenire potuisse non nego, sed fortasse etiam hic Aratea ei aut eius fonti auxilio fuerunt. —

Inde a 111 31 nobis ipsis Aratea praesto sunt.

112 34: »Quem summa ab regione aquilonis flamina pulsant, B^2 *et codices Arateorum rectissime*, summa regione AB^1PV, summam regionem, *alt.* m *del. 2*, *C*, summa a reg. *Baiterus*. Cf. Arat. Phaen. 250:

αὐτὰρ ὅ γ' ἐν βορέω φέρεται περιμήκετος ἄλλων. —

112 1: »Cuius propter laevum (laeum AV^1) genum (genu C^2V^2) vergilias tenui cum (tenui tum *P*, tenuit tum V^1) luce videbis.«

Sic *ACPV* itemque B^1, ut ex spatio et erasarum litterarum vestigiis concluditur, nisi quod pro »cuius« verbum paulo longius [1]) videtur fuisse.

»At propter laevum genus omni ex parte locatas
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.«

habent B^2 et Prisciani codices, cum in Arateorum codicibus legatur: »omnis parte (»s« suppunx. m. 2.)« itemque »omnis parte« apud Probum traditum sit. In editione principe, e codice Siciliensi ducta a Georgio Valla et Victore Pisano curata, est lectio mixta »omnis ex parte«; Baehrensius edidit: »omnis parte locatas — Parua Vergilias e. q. s.« Ex Arat. Phaen. comparandi sunt versus 254—56:

Ἄγχι δὲ οἱ σκαιῆς ἐπιγουνίδος ἤλιθα πᾶσαι
Πληϊάδες φορέονται. ὁ δ' οὐ μάλα πολλὸς ἁπάσας
χῶρος ἔχει, καὶ δ' αὐταὶ ἐπισκέψασθαι ἀφαυραί.

---

1) »quoius«, nisi fallor, nam tales formae in B^1 etiam aliis locis inveniuntur.

Hoc constare mihi videtur »omnis parte« nihil esse nisi »omni ex parte« eodem modo corruptum, quo 114_{26} »caudarum parte« in *B^1* et Arateorum codicibus ex »caudarum a parte« et 112_{34} »summa regione« in *AB^1PV* ex »summa ab regione«, propter versum. Itaque *B^2* correctiorem Arateorum codicem habuit, quam sunt nostri *D(resdensis 183, saec. X)* et *H(arleianus 647, saec. IX)*. Neque tamen recte Schoemannus eis, quae *B^2* addidit, usus scripsit: »Cuius propter laevum genus omni ex parte locatas — Parvas Vergilias e. q. s.« In eundem errorem delapsus est ac corrector ille *B^2*, qui nihil aliud petebat, nisi ut versum, cui primus pes deerat, expleret; cf. etiam 114_{24}. —

112_{8}: »leviter posita et convexa videtur«.

Sic edidit Baiterus, *B^2* et Arateorum codices secutus, sed quid sit »leviter posita«, nemo adhuc explicavit, nihil est. *B^2* igitur in codice suo Arateorum iam eandem, quae in nostris est, corruptelam invenit. Sed leniter tantum locus corruptus est atque restitutus et a Schoemanno, qui antea alia coniecerat, in editione IV et a Baehrensio in Poet. lat. min. *AB^1CPV* enim habent »posita leviter« atque in *A* »et« quod prima manus post »leviter« scripserat, ab altera erasum est, quippe cum illo loco versus verbum non ferret. Apparet »et« post »posita« excidisse atque scribendum esse: »posita et leviter convexa.« Ceterum *B^2* primum eodem modo quo *A^2* deleto »et« versui coniectura mederi conatus esse, deinde Aratea adhibuisse videtur. —

113_{11}: »Hic autem aspicitur
sese ostendens emergit Scorpios alte.«

Haec tradita sunt in *AB^1CPV*. Quod *B^2* »autem aspicitur« delevit, aperta coniectura fuit, qua versus coniunctione »ut« omissa mutilus restitueretur; itemque in *A* minutae lineolae superductae sunt, incertum an delendi causa. Ex. Arat. Phaen. comparandi sunt versus 303 ss.:

σῆμα δέ τοι κείνης ὥρης καὶ μηνὸς ἐκείνου
Σκορπίος ἀντέλλων εἴη πυμάτης ἐπὶ νυκτός.
ἤτοι γὰρ μέγα Τόξον ἀνέλκεται ἐγγύθι κέντρου
Τοξευτής· ὀλίγον δὲ παροίτερος ἵσταται αὐτοῦ
Σκορπίος ἀντέλλων, ὃ δ' ἀνέρχεται αὐτίκα μᾶλλον.

Equidem puto uno illo »ut« addito totum locum sanum fieri, neque »hic« in »hinc« neque »alte« in »alto« neque »ostendens emergit« in »emergens ostendit« mutandum esse. Hic enim est sensus: »an dieser Stelle aber erblickt man den Scorpion, so oft er sich in seinem vollen Glanze zeigend (»ostendens« idem fere atque »ostentans«) hoch aufsteigt.« In Arateorum codicibus »ostendens emergit« in »ostendens ostendat« duplici errore corrupta sunt, cum primum pro »emergit« »ostendit« ex »ostendens« repeteretur, deinde non intellecta coniunctione »ut« coniunctivus pro indicativo poneretur. —

113_{12}: plexum AB^1CPV, flexum *Arateorum codices et* B^2, *qui ex eis hausit.* —

114_{18}: ille] *ACPV et Arateorum codices*, inde *B*, nde *in ras.* B^2.

Apparet eum qui »inde« legerit non legisse aut legere noluisse »quem subsequens«; qui autem »quem subsequens« removit, hoc fecit, quod versus non coirent. Itaque B^2 aut »quem subsequens« delere oblitus est, aut ex codice hausit, in quo iam partim coniectura, partim Arateorum aliquo codice adhibito omnes versus, qui pleni non fuerant, aliquo modo expleti erant, qua in re etiam aliae et rectae et falsae Arateorum lectiones in hunc *de nat. deor.* librum transierant. —

114_{23}: Quod »tangentem« in *B* primum in »es« correctum, deinde restitutum est, nihil sit nisi coniectura correctoris B^2, quamquam etiam Schoemannus, inscius quidem, in codice quoque hoc esse, in editione IV sic scripsit. —

114_{24}: Quem (Quam B^1) longe serpentem et manantem aspicies

proceraque vincla videbis AB^1CPV,

Quam longe aspicias proceraque vincla videbis B^2.

»Quam«, quod iam B^1 legit, falsa coniectura est hominis durum illud »quem« ad »fluminis« = »Eridani« relatum non intellegentis. B^2 autem »serpentem et manantem«, quod iam saepius vidimus, nulla alia causa delevit, nisi ut versus plenos redderet, quaeque illi non caperent, removeret. —

114_{30}: chelis] *om* B^1, cetis *A* (*sed* s *expunctum*) *PV*, caetis *C*.

Unus B^2 recte addit »chelis«, fortasse id quoque ex Arateis sumptum. —

114_1: B^1 »purgens« scripserat pro »porgens«, quod B^2 non sine codice correxit, nam error facillimus erat, ut A^3, »pergens« posuit. —

114_7: tundit] B^2 *et Arateorum codex D*, tendit AB^1C PV, tondit *Arateorum codex H*. —

114_8: Antecanem] AB^1CPV *et Arateorum codices*, Antecanis B^2 *et Lambinus*, *vix recte*. —

Etiam alio huius ipsius libri loco Cicero tres versus ex Arateis suis affert, § 159. Ibi quoque B^2 complura mutat.

159_{87}: »sunt«, quod B^1 falso pro »est« posuerat, B^2 delevit neque »est« addidit, cum neque sensus neque versus id desiderare videretur. —

159_1: primast] V^1, prima est A, *sed* est *in ras. 3*, B^1V^3, prima *om.* est B^2, prima sunt C.

Pro »fabricarier ensem«, quae uni A^3M^2 praebent, cum in ceteris in »fabricari ferensem« corrupta sint, B^2 pravam coniecturam »fabricari ferre ensem« exhibet. —

159_2: gustare] *recte* (*ἐπάσαντο Aratus*) AB^1CV, gestare B^2. —

Alios versus non Arateos, quos Cicero compluribus locis inseruit, B^2 non tam temere tractavit.

Quibus rebus expositis, si, quid omnino de correctore B^2 iudicandum sit, quaeremus, dicendum erit:

1) correctorem B^2 codice aliquo alterius classis, fortasse ipso codice A usum esse;

2) aut iam in hoc codice Arateorum codicem aliquem bonum — atque minus, ut videri possit, mutilum quam nostros — ad Ciceronis verba restituenda et supplenda adhibitum fuisse, aut B^2 ipsum talem codicem adhibuisse, quod necessario credendum erit, si A fontem eius esse statuemus;

3) multa sine dubio ipsius correctoris B^2 ingenio et doctrinae deberi.

De codicis *A* correctoribus A^2 et A^3.

Iam ad aliam rem tractandam transeamus et, quae sit codicis *A* correctorum A^2 et A^3 vis ac natura, diligentius disputemus. Ac primum quidem correctorem A^2 non sine codice munere suo functum esse inde efficitur, quod multis locis talia aut correxit aut supplevit, qualia coniectura nunquam invenisset. Quamquam multa sunt, tria afferre exempla satis erit:

I 45_{20}: formam] formam et animam A^1, *corr.* A^2.

II 87_{29}: ad usum — esse neque] *om.* A^1, *add.* A^2.

III 29_{25}: nullum aeternum — 29_{27} igitur omne animal *in ras.* A^2.

Etiam coniecturas protulit, ut fieri solet, si corrector liuguae latinae non prorsus imperitus est. Ex multis exemplis conferas:

I 45_{19}: nullos a superis inpendere metus] inpedere A^1, inpedire A^2.

II 22_8: angustius] angustiis A^2.

III 14_{23}: secuntur] ABV^1, sequuntur CV^2, recuntur A^1, reguntur A^2.

Codex autem, quo A^2 utitur, non alius est nisi is, quem A^1 descripsit. Primum enim fere nusquam corrigit, ubi etiam V^1, quem cum A^1 artissimo cognationis vinculo (»gemellos« Schwenkius rectissime eos dicit) contineri vidimus[1]), Ciceronis verba integra non servavit. Cuius rei exempla quicumque volet facile inveniet, sed cum ea collecta habeam, hic pauca ponam, quae ex tertio libro, qui totus etiam in *V* traditus est, notavi:

III 3_{10}: Vellei; neque] vellein*eque, i *postea insertum vid.*, *A*, velle inaeque V^1.

5_{13}: auspicia] ospicia AV^1.

18_{33}: deos esse] deos se A^1V^1, *corr.* A^3V^2.

24_{14}: Siciliensi] siilicensi AV^1.

1) cf. p. 21.

Multo minus, uti par est, A^2 corrigit, si praeter V^1 etiam alii aut omnes eiusdem classis codices corrupti sunt.

Tamen pauci loci sententiae nostrae oppugnare videntur. Sunt autem hi:

II 7_{12}: Quid?] qui *vel* quit (?) A^1, quo A^2, *V deest.*

64_8: (Saturnius) ex se enim natos comesse fingitur, quia consumit aetas temporum spatia] etas A^1, etates A^2, aetates *B*, *sed* -ates *in ras. 2*, aetas *CPV.*

65_{25}: caelo] *B*, celo A^2, melo A^1CPV.

108_{20}: Anguitenens] A^1B^1CPV, anguitenentis A^2B^2.

115_{11}: alia quae] $A^1B^1C^2PV$, aliqua A^2B^2, alia quam (?) C^1.

126_2: caperentur] BCA^2, carperentur A^1PV.

147_{32}: qui non . . . perspicit, is his ipsis rebus carere videtur] is *om.* *BC*, *del.* A^2M^2; *cf. p. 13.*

III 5_8: Ti. (Coruncanium)] t. A^2B^2, *om.* A^1B^1CV, *P deest.*

68_{18}: qua] A^2, aqua A^1BCPV (*antecedit* regia).

94_{25}: Quae cum dixisset, Cotta finem. Lucilius autem e. q. s.] Quae A^1B^1PV, quem $A^2B^2C^1$, que C^2.

Sed inter hos locos, si diligentius eos examinaveris, nullum esse dices, quo A^2 lectionem suam sive rectam sive falsam cum *V* discrepantem non coniectura invenire potuerit.

Contra non desunt loci, qui vel certo doceant, A^2 illo ipso codice usum esse, quem A^1 et V^1 descripserunt. Conferas velut:

II 70_{13}: Titanis] titimannis V^1, titima*nis, ma *corr. 2*, *A*; ponit igitur eandem vitiosam lectionem ac V^1.

159_{23}: natae] nete A^1, nate A^2V^1.

III 22_{27}: dilatavit] $A^1B^2CPV^2$, dilatalavit $A^2B^1V^1$.

89_7: multi] multis CPV^1, A^2 s *addere coepit, sed rursus induxit.*

Non tam multa quidem, sed non minus gravia quam A^2 correxit A^3, saec. XIII. Cum autem codices *A* et *B* in eadem bibliotheca fuisse videantur, suspicio reprimi non potest, correctorem A^3 ad emendandum codicem *A* alterum

eorundem librorum exemplar, quod ad manum ei esset, adhibuisse. Quae opinio his paucis quidem locis, quibus A^{3} eam, quam, quantum nos quidem sciamus, unus *B* praebebat, lectionem sive rectam sive falsam in *A* intulerit, confirmari videatur:

I 118_{2}: quid ii] *A*, *sed man. 3 corr., et* B^{2}, qui B^{1}, *om. C, des. PV.*

II 19_{24}: quem non coget] q. n. cogat $A^{3}B^{1}$.

101_{26}: aer] *B*, *om.* $A^{1}CV^{1}$, *add.* $A^{3}V^{2}$, *deest P.*

109_{26}: Nepai] $B^{2}A^{3}V^{2}$, nepe $A^{1}V^{1}$, nepar B^{1}, nepii *C*, *deest P.*

113_{12}: plexum] flexum $A^{3}B^{2}$.

III 29_{18}: quem ad modum] B^{2}, quaem ad mod. A^{3}, quae ad m. $AB^{1}CPV$.

48_{6}: deam duces] deanduces $A^{1}V^{1}$, deam ducis $B^{1}C$, deam dicis PV^{2}, deam dices $A^{3}B^{2}$.

84_{25}: atque] atqui $A^{3}B^{2}$.

Sed sunt loci, qui huic sententiae prorsus adversentur, velut A^{3} cum aliis classis α codicibus congruit:

I 78_{25}: vexit] *A*, *sed* it *in ras.* A^{3}, *et C*, vexet B^{1}, vexerit B^{2}, *des. PV.*

122_{17}: vovemus] $A^{3}C$, movemus $A^{1}B^{1}$, movemur B^{2}, *des. PV.*

III 89_{3}: arripimus] $A^{1}BCPV^{1}$, ascribimus $A^{3}V^{2}$.

Coniecturam vel pravissimam ponit, quamquam, si codicem *B* inspexisset, rectam lectionem invenisset:

II 54_{27} :ut vi sua stellas] $CPVB^{2}$, ut visu stellas $A^{1}B^{1}$, aut vis ut stellas A^{3}.

III 4_{21}: parum] *B*, parvam $A^{1}V^{1}$, parva CV^{2}, paraveram A^{3}.

52_{11}: Iam] *B*, tam A^{1}(?)CPV, tum A^{3}.

64_{6}: A^{3} post lacunam cum *C* magnam litteram ponit.

70_{6}: quisquamne istuc] V^{2}, quisquas istuc (-ud B^{1}) $B^{1}PV^{1}$, quisquam istuc *corr. ex* -ic *C*, quis istuc, *non recte quidem, sed sensu non perverso* B^{2}, quisquam iuste A^{3}.

86_{12}: P. Rutilii sim] P. Rutili sim $B^{2}PV^{2}$, prutili sim $B^{1}V^{1}$, prutilii sim A^{3}, ii *corr. ex* is *et* sim *in ras.*, protulissem *C*, *similiter etiam* A^{1}.

Unus rectam praebet lectionem:

II $6_{18 \text{ et } 19}$: praesentes saepe di vim suam] *praeter* am *in ras.* A^3, praesentes saepe divi suam B^1, praesentiam saepe divi suam B^2C, *dcs.* *PV.*

159_1: fabricarier ensem] A^3M^2, fabricari ferensem A^1 B^1C *et*, *ut vid.*, V^1, fabricari ferre ensem B^2, fabricari (*spscr.* vel -ier) ferro ensem V^3, *deest* *P.*

III 71_{22}: commemorabantur] A^3, -batur A^1BCPV.

88_{33}: ipsis sita] A^3, ipsis ita (ipsi sita) *ceteri.*

Ceterum A^3 compluribus locis glossemata in margine addit; quid coniciendo praestiterit, ex his cognoscas exemplis: I 79_3; 82_{24}; II 42_5; 124_4; III 35_4; 70_6.

Quae omnia si respiciemus, iudicabimus: dubium esse, utrum A^3, certe homo linguae latinae satis peritus, omnino codice aliquo usus sit, an nihil nisi ingenium suum ad emendandum *A* adhibuerit; sin codice usus sit, id constare, illum non aliter comparatum fuisse quam nostros generis *α*, quibuscum communem habuerit archetypum.

De codicis *V* correctoribus V^2 et V^3.

Maxime mirum correctorem codex *V* passus est, V^2 ipsi V^1 aequalem. Qui quin codice usus sit in munere suo efficiendo, quamquam dubium omnino non esse potest, tamen difficillimum est cognoscere quo codice usus sit. Coniecturae enim audacissimae et non semper ineptae, quibus multis locis, qui corrupti aut erant aut ei videbantur esse, genuina verba turbavit, eum neque hebeti ingenio, neque sermonis latini imperitum aut doctrinae expertem fuisse docent, ut maxima difficultas oriatur iudicandi, quae ipsius ingenio debeantur et quae ab altero codice ei suppeditata sint. Velut apertas coniecturas conferas:

II 136, quae paragraphus in codicibus mendis abundat, V^2 tres profert coniecturas:

v. 28: eam quae ducta est spiritu] sit *pro* est *propter coniunctivos modos, qui passim circum sunt*, *cet. omn.*, ea qua eductus it spiritus V^2.

v. 29: cum in V^1, ut in A^1B^1, »ne si quid« in »nisi quod« depravatum esset, V^2 ante »in« denuo »si« interpolavit.

v. 4: qui tum se contrahunt adspirantes, tum in respiratu (*Lambinus*, respiritu *Z*) dilatantur] B^1, dilatant AB^2C $FMPV^1$, tum se spiritu dilatant V^2, *cf. p. 37.*

153_{22}: »accipit cognitionem deorum« scribendum videtur esse, cf. p. 27; »accipit ad cognitionem« ceteri omnes, »accipit ab iis cogn.« coniecit V^2, quod Schoemannus editionem Ascensianam Paris. 1511 secutus falso recepit.

168_4: quoniam in utramque partem vobis licet disputare] CP, vovis $A^1B^1V^1$; desputare ABV^1; quovis licet desputari V^2.

III 25_{22}: aram] aramam AV^1, aram aut P, arenam V^2.

28_{13}: non probabam] non probam A^1(*corr. 3*), inprobam V^1, non probem V^2, probabam *om.* non C.

45_{10}: et Rhesus] rhe *in ras.* B^2, ethesis A^1, ethesus A^2CPV^1, et theseus V^2.

68_{17}: quem clam Thyestem] cl *et* m *corr. 2–3*, A,(A^1 *Schwenkio videtur habuisse* quem dant hyestem), quem dant hyestem, em *in ras. et praec.* e *spscr. 2*, V.

87_{22}: Num quis, quod bonus vir esset, gratias dis egit umquam? At quod dives e. q. s.] at, t *in ras. 3*, A, ad B^1, aut C^2, ut V^2 *in marg.*

Itaque V^2 multis locis, quibus V^1, pluribus, quibus V^1 et A^1, pluribus etiam quibus cuncti generis α codices corrupti sunt, ab ipsius ingenio et doctrina auxilium petit, nisi omnino nihil corrigere praefert, ut II 49_4; 65_{22}; 83_{34}; 122_{13}; 161_5; III 29_{18}; 41_{32}; 56_{21}; aliis locis.

Accedunt duo loci, quibus V^2 falsam ipsius codicis A lectionem in suum codicem infert:

II 122_{13}: humilitas] humilatas AV^2, humiliatas PV^3; V^1 *rectum habebat ut ceteri.*

III 53_{26}: *Διόσκουροι*] dioscorce A^1V^2 *et, ut vid.*, B^1, dioscorte CV^1, dioscoride PV^3, dioscore A^2, dioscorae B^2.

Si haec tantum respiceremus, sine dubio correctorem nullo nisi eo codice usum esse iudicaremus, quem A^1 et V^1 descripserant. Sed sunt loci, quibus unus V^2 aut rectam

aut aliam lectionem praebeat, quam coniectura eum invenisse haud scio an futuri sint qui nobis non concedant. Conferas:

II 27_{28}: subditis ignibus] V^2, subitis i. *cet.*

35_{18}: obstitit] obtigit V^2 *in mg.*

48_{28}: ne] anne V^2, *quod Orellius recepit.*

49_{33}: quot] V^2, quod AB^1CPV^1, quid B^2.

65_{20}: Cui quod in me est exsecrabor hoc quod lucet quicquid est] quo lucet V^2.

71_{18}: In archetypo prava coniectura fuit »quos deos« pro »hoc eos«; V^2 corr. »hos deos«.

99_{19}: possemus] V^2, possimus ACV^1 *et corr. ex* »possumus« *B*.

99_{20}: intuens] contuens V^2.

101_{30}: spiritu] spiritus *Z*, *sed in V post.* s *eras.*

107_{8}: Pro »in primis aspicienda« V^2 certe non inepte habet »in primis suspicienda«. Neque tamen Orellio hoc verbum recipienti assentior; facillime quidem »-is susp.« in »-is asp.« depravatur, sed qui tam falso quam II 136_{28} (cf. p. 59) V^2 fecit, verbis distinctis atque corruptis aliquid profecisse sibi visus est, etiam inversa vice »-is asp.« in »-is susp.« mutare potuit.

125_{23}: adquirunt] V^2M^2, adquierunt $ABCM^1PV^1$.

127_{8}: morsu] V^2, cursu $ABCPV^1$.

129_{32}: aiunt] V^2F^2, alunt $ABCF^1MPV^1$ (*sed in C* i *et* l *vix dignoscuntur*).

129_{4}: excuderunt] excluserunt V^2.

131_{20}: tam varia et tam] V^2, tam variae (-ie B^2) tam AB^2PV^1, tam varietem B^1, tam varia tam *C*.

146_{27}: »Nariumque item et gustandi et parte (arte V^2) tangendi magna (*ABPV*, gustandi magnam, *post.* m *eras.*, *C*) iudicia sunt.«

C »et parte tangendi« propter similitudinem verborum »gustandi« et »tangendi« omisit (cf. p. 72). »arte«, quod Baiterus fortasse rectum esse dicit, mihi certissime falsum videtur esse. Nam ut dici possit »arte tangere«, tamquam »arte complecti«, tamen hic, ubi de varietate atque subtilitate sensus illius, quem ei, qui nostra aetate in illis rebus

explorandis operam ponunt, rectius »Hautsinn« nuncupaverunt, nimis exiguis finibus res circumscriberetur, si de »premendo« (nam hoc esset »arte tangendo«) tantum Ciceronem loquentem faceremus. Quid scribendum sit, dubito, fortasse quae Heindorfius coniecit: »et pariter tangendi« vera sunt; »arte« autem mala coniectura est, ad v. 17 »artibus« et 29 »artes« respiciens.

150_{26}: ac] V^2, ad $ABCPV^1$.

151_5: consectione] V^2, confectionem $ACPV^1$, confectione B.

162_{27}: providentia] V^2, prudentia $ABCPV^1$.

III 8_4: posses] V^2, possis $ABCPV^1$.

14_{32}: intellecta] V^1, vel intellegenda V^2 *in mg.*

20_{11}: enim] V^2, *om.* $ABCPV^1$.

23_{35}: erit mundus] *in mg. add.* V^2, *om. cet. omn.*

32_{14}: ullo] nullo V^2.

35_5: qui quoniam] V^2, quoniam *om.* qui $ABCP$, quoniam quoniam *ut vid.* V^1.

44_{29}: modus] $ABCPV^1$, motus V^2; neutrum recte; quid scribendum sit, non facile dicat quispiam, Mayor posuit »Morbus, Metus.«

48_5: Circen] V^2, circem $ABCPV^1$.

59_{27}: Coryphe] corufe $ABCPV^1$ *et* V^3, coruse V^2.

60_{32}: aliaque] *om.* AB^1CPV^1, et B^2, atque V^2.

64_{34}: a philosophia pellatur] V^2, a philosophi appellatur AB^1V, a philosophi talis app., *sed talis del. 1*, C, a philosophis appellatur PV^3, philosophia appellatur B^2.

65_7: deorumne] V^2, deorum *cet. omn.*

providentia] V^2, prudentia $ACPV^1$, prudentiam B.

65_{14}: istac ibit] *ut vid.* B^1, ista cibit P, is tacebit C, ista ibit AB^2V^1, al. isthaec V^2 *in mg.*, *sed* h *eras.*

70_6: quisquamne istuc] V^2, quisquam iuste, m *et* iuste *in ras. 3*, A, quisquas istuc (-ud B^1) BPV^1, quisquam istuc *corr. 2 ex* -ic C, quis istuc B^2.

73_8: neque ut inde] M, *quod Schoem. Or. Bait. receperunt*, neque unde ACP, neq; uitinde, *sed* ui *incert.* B^1,

ne quid inde B^2, neque tinde V^1, neque quid inde V^2, nec quid inde *Müllerus et Ribbeckius.*

87_{23}: Iovemque] iovem quam, am *in ras. 3*, *A*, que *del.* V^2.

89_3: arripimus] A^1V^1, ascribimus A^3V^2.

92_8: hanc] V^2, haec $ABCPV^1$.

Alios locos, quibus V^2 coniecisse nemo est quin videat, non attuli.

Assumpsit igitur V^2 non sine iudicio atque doctrina codicem aliquem classis α, qui non paucis locis Ciceronis verba, etsi non melius quam nostri, tamen ita servaverat, ut homini erudito diligentius inquirenti verum etiam cognoscere liceret. Hunc ipsum illum quem A^1 et V^1 descripserant fuisse, multa indicare videntnr. Duo loci, quibus V^2 cum B^1 artius congruere videatur, II 131_{24}: ventos Etesias] v. ethesias B^1V^2; et III 91_{30}: paene] poenae B^1V^2, nullius momenti sunt, praeterquam quod ipsi quoque V^2 ex communi codicum A^1 et V^1 fonte, quem codici β vel B^1 paulo similiorem fuisse consentaneum est, hausisse probent[1]).

Tribus fere saeculis post codex *V* ab altero correctore V^3 tractatus est. Etiam hunc non solum ingenii sui commenta nobis offerre facile est probatu, cum saepius ea quae omissa erant rectissime suppleat, ut II 41_{29}; III 21_{16}; 29_{28}, et praeter alia minutiora talia quoque corrigat, ad qualia corrigenda codice ei opus sit, ut

II 168_4: vobis licet disputare] uouis $A^1B^1V^1$, quovis V^2, uobis V^3; desputari V^2, vel -re V^3.

III 35_6: omnem vim] omne vim *C*, omnium V^2 *e corr.* (V^1 *obsc.*), omnem vim V^3 *in mg.*

41_{23}: excesserant vita. Quamquam quem] $B^2A^3V^3$, *celeri corrupti sunt.*

59_{32}: Syria] sitia V^3.

80_{11}: vetera] vera V^1, *corr.* V^3.

Atque de huius quem V^3 adhibuit codicis natura etiam

1) De correcturis, quas Schwenkius, cum ipse de origine earum dubitaret, signo V^{2-3} notavit, iudicium cohibendum esse apparet.

plura cognoscere nobis licet. Simillimum enim eum codici *P* fuisse, hi docent loci:

II 33 1: primo] C^2PV^3, prima ABC^1V^1.

39 17: mobilissima] mollissima *C* (*cf.* 31 17: mobilissima] mollissima *C*), nobilissima PV^3.

122 13: humilitas] humilatas AV^2, humiliatas PV^3.

III 53 26: Διόσκουροι] dioscorce A^1B^1 (*ut vid*) V^2, dioscore A^2, dioscorae B^2, dioscorte CV^1, dioscoride PV^3.

57 2: specillum] speculum PV^3M.

64 34: a philosophia pellatur] V^2, *cet. varie corrupti*, a philosophis appellatur PV^3.

81 19: septimum] septimus *C*, septies PV^3.

Utrum etiam explicationes, coniecturas ampliores, varias lectiones, interdum verbo »vel« addito allatas, V^3 ex eodem hauserit fonte, an ipse commentus sit, discernere nolo, quamquam illud mihi verisimilius videtur esse, quia hic homo haud ita doctus fuit [1]). Ex quibus, cum fere omnes aut falsae aut nullius momenti sint, tres tantum quas commemorem dignae videntur esse:

II 31 19: Ad »neque« V^3 add.: »al. h. neque extrinsecus hoc ab aliquo accipiat.« Non est, cur haec curemus, nihil est nisi explicatio verbis fortasse ex III 29 22: »accipiendi aliquid extrinsecus . . . necessitatem« sumptis.

47 26: Quam falsa sint quae V^3 addit: »quantum idem a summo«, post Madvigium, Schoemannum, alios optime exposuit Mayor in ed. sua; eidem unum »tantundem«, quod Madvigii excellentissimo ingenio debetur, sufficere neganti assentior, licet, utrum ipsius »undique« an Schoemanni »ubique« vel »ubivis« (cf. append. ed. IV) an Briegeri (Beitr. z. Krit. d. Cic. Posen 1873) »omne« praeferam, adhuc dubitem.

110 7: Pro »feretur« V^3 »tenetur« posuit 110 4, ubi item »tenetur« versum claudit, respiciens; quamquam eodem sensu utrumque usurpari docet 110 34: tenens] *codices nostri*, ferens *ex Arateis Servius ad Verg. Georg. I, 111* [2]).

---

1) Cf. correcturas, quas supra attuli, velut III 59 23.

2) Eas correcturas, quas Schwenkius signo V^{3-4} notavit, ad iudicium faciendum adhiberi non posse per se intellegitur.

Postremo consentaneum est, similitudinem codicum PV^3 clariorem etiam apparituram fuisse, nisi tantae partes codicis *P* periissent, sperandumque est, si etiam libri *de divin.* quos praeter *de nat. deor.* *P* continet denuo collati erunt, fore ut certius iudicare possimus.

De codice *C*, Heinsiano.

Quarto loco nobis agere proposuimus de codice *C*, Heinsiano. De quo inter viros doctos non parva exstitit dissensio. Ab altera parte Vahlenus (cf. praef. ed. libr. *de legg.* p. XII) »hunc librum ab eadem cum Vossianis origine repeti eorumque fidem, ubi testimonia in ipsis perspicue scripta neque radendo detrita sint, augere non posse« existimavit, ab altera C. F. W. Muellerus (cf. praef. ed. libr. *de legg.* p. XXXII) et Iordanus (cf. Symb. ad hist. ling. lat. 1879), quos alii secuti sunt, codicem *C* vel pluris quam Vossianos *A* et *B* fecerunt, cum ille diceret, »se eum nusquam neglegendum censere, nedum, quae propria haberet, arbitrio correcta concederet,« hic eius memoriam propriam et a Vossianis seiunctam iisque adeo aetate non solum auctoritate superiorem putaret esse.

Ac iam ut ipsi rem aggrediamur, hoc certissime constat, codicem *C* ex eodem ex quo ceteros codices nostros omnes fluxisse archetypo et stare ab ordine *APV*, parente *α*. Cuius rei exempla quamquam ipsi in hac dissertatione tot iam commemoravimus totque, quicumque Schwenkii apparatum perleget, in quavis pagina inveniet, ut is, qui de ea dubitet, nihil nisi risum movere possit, tamen pauca gravissima, quae, etiamsi nulla alia invenirentur, sola totam rem conficerent, hic in memoriam revoco:

I 1: cf. p. 22 ss.; II 15_{20}: cf. p. 16 ss.; III 13_{22}; 64_{35}; eos locos quos ad codicis B^1 auctoritatem confirmandam p. 31—44 attuli.

Atque simillimus est *C* ipsi codici *A*, nam conferas:

I 4_{26}: tempestates] tempestas, *ut vid.*, A^1C^1.

21_7: nam] non A^1C^1.

26$_{30}$: sensui] sensu *AC*.

26$_{33}$: animal nominetur] anima nom. *AC*.

28$_{5}$: *στεφάνην*] stephane A^1C,

29$_{11}$: Empedocles] empeclodes *A*, empedodes *C*.

43$_{28}$: versantur] n *spscr. 1*, *A*, versamur *C*.

77$_{5}$: considera] consideras *AC*, *coniectura propter* quidque *in* quidquid *A*, quicquid *C corruptum*.

77$_{11}$: adire] adidre, *sed corr. 1*, *A*, audire *mala coniectura C*.

78$_{30}$: hominis] -ni *AC*; formica] *om*. *AC*.

79$_{3}$: exurgentem] ur *in ras. et* m *add. 3 A*, exoriente *C*.

109$_{22}$: si vos] suos A^1C^1 (*sed in hoc ead. m. corr.*)

110$_{5}$: quae nulla sunt] *om*. *AC*.

119$_{15}$: orarum] horarum AC^1(*M*).

120$_{27}$: patria] pratria A^1, paria *C*.

124$_{31}$: enim dicam] A^2 *in ras. min.*, enim *spscr*. *C*. [1])

II 3$_{25}$: anteponendae] -da *AC*.

7$_{9}$: Claudii] clodi *A*, dodi *C*.

7$_{14}$: Claudius] clodius *A*, dodius *C*.

44$_{32}$: id] *spscr. m. 1 ut vid. A et C*.

63$_{32}$: vitam] vita A^1(?)*C*.

64$_{5}$: *Κρόνος*] oronos A^1C.

81$_{17}$: materiam, qua ali] -iam qua ali in ras. 3 *A*, m. quali *C*.

85$_{6}$: necesse est] necessest *A et ut vid*. C^1.

86$_{18}$: ecferant] et ferant *AC*.

89$_{18}$: undas volvit] undas evolvit *AC*(*M*).

119$_{17}$: incolumitatem] incolom. *AC*(*M*).

159$_{34}$: humerorum] umerorum *AC*.

161$_{18}$: periclitatione] periditatione C^1 *et ut. vid*. A^1.

III 37$_{26}$: cur] quur *AC*.

41$_{28}$: id] idem *AC*.

64$_{2}$: per mare] permanere *C et ut vid*. A^1.

76$_{7}$: etsi hi quidem] et sibi quidem *AC*.

76$_{8}$: si] *AC*(M^2V^2), sed BFM^1PV^1.

77$_{20}$: schola] *AC*, scola *BFMPV*.

---

1) Haec exempla, cum *V* omnino, *P* praeter 28 5 et 43 28 desint, si quis minus valere dicat, equidem non obloquar.

86_{12}: P. Rutilii sim] protulissem *C et simillime* A^1, prutilii sim A^3, ii *corr. ex* is *et* sim *in ras.*

His exemplis efficitur non *C* quidem — nam hoc temporum ratio vetat, cum A^1 et A^2 IX–X, *C* XI saeculi sint — sed eius parentem γ aut ex ipso codice *A* nondum correcto aut, quod veri similius videatur, ex α uno eodemque tempore atque *A* descriptum esse. Hunc autem codicem γ aliquando a correctore aliquo (γ^2), haud indocto, tractatum fuisse, etiamnunc ex vestigiis quibusdam cognoscitur. Conf.:

I 26_{20}: et continentem in infinito] et incontinentem infinito *cet omn.*, et incontinentem in infinito *C.*

Apparet in archetypo »in« ante »infinito« primo omissum, deinde superscriptum ob eamque causam ab α et β falso loco insertum esse. γ^2 autem »in« recto loco addidit, illud falsum ante »continentem« non delevit.

70_{33}: Nihil horum nimis callide.] *Sic rectissime Schoemannus, cf. Opusc. III 317 et 364,* nisi callide *C,* nisi valde *ABFMP.*

Perspicuum est, in archetypo verbo »nimis« superscriptum fuisse »nisi valde« sc. legendum est[1]), eaque postea in genuini verbi locum successisse. γ^2 »callide« pro »valde«, quod omni sensu carebat, restituit, »nisi« non mutavit.

II 26_{10}: Unus *C* delet »effusio« apertum glossema ad »liquor» ascriptum. Hoc glossema iam a γ^2 in γ deletum fuisse inde efficitur, quod si quis in *C* illud verbum delevisset, certissime etiam »dederat«, qui est error calami librarii *C* pro »declarat«, emendasset; id autem saepius fit, ut neglegens scriba verbum expunctum primum falso non omittat, deinde ipse expungat.

122_{16}: »Et«, inter »propter« et »magnitudinem« in *C* insertum, nihil videtur esse, nisi illud »est« quod post »elefanto« v. 15 γ cum ceteris omisit, γ^2 superscripsit. Quo neglecto postea alterum »est« falso loco interpolatum est.

III 41_{30}: »monte« ex »montem«, quod cum ceteris

---

1) Aut »valde« superscriptum et »nimis« propter frequentem locutionem »nihil nisi« in »nisi« corruptum est.

omnibus γ^1 habuit, restitutum est, »octa eo« incorrectum remansit.

71$_{21-23}$: Iam in archetypo propter »Medea« in »media« corruptum pravissima coniectura »commemorabatur« in »-antur« mutatum erat, quod praebent omnes codices. γ^2 restituit »Medea«, »commemorabantur« non emendavit.

Deinde, si quaerimus, utrum γ^2 in munere suo efficiendo codice usus sit, necne, et si codice usus sit, quo codice, mihi quidem verisimillimum videtur esse, ipsum α, aut A^1, quem γ^1 descripserat, a γ^2, uti fieri solet, iterum excussum esse. Sed ut ipse iudicare possis, hic eis tantum, quos omnino nullius momenti esse nemo erit quin concedat, exceptis omnes ponam locos, quibus *C* integram lectionem praebet aut viris doctis praebere visus est, cum ceteri omnes corrupti aut sint aut fuerint:

I 5$_{34}$: ut earum] CB^2FM, et earum *A*, uetearum B^1.

24$_4$: dicenda] *C*, ducenda *cet. omn.*; »dicere« et »ducere« saepissime confunduntur.

26$_{19}$: vi ac ratione designari] *C*, viae ratione (rationem M^1) dissignari *ABFM*.

34$_{17}$: prudentior est] A^2C, prudentior*A^1, prudentior, *om.* est, *BFMP*.

36$_9$: appellatur] *C*, *Bait.*, *Schoem.*, appelletur *AMP*, apelletur *B*; ipse cum Mayore non esse puto, cur »appelletur« reiciemus, cf. Mayoris notam.

49$_4$: viderit] *C*, viderat *AMP*, videat *BF*; *sed cf. p. 33.*

50$_{16}$: etiam] *C et in ras. 3 A* (*A^1 obsc.*), ettam B^1P, tam *M*, tum B^2F.

68$_9$: atomis id] A^2C, atomi sit A^1B^1, atomis sit B^2FM, atomis re, re *in ras. 1, P.*

79$_7$: at erat] *C*, aderat *ABFM.*

82$_{25}$: auditum] *C*, auditu *AFM*, auditu**B*, auditum *igitur ut vid. etiam B^1.*

88$_{12}$: mediterranei] *C*, -ni A^1BFM, -nii A^2.

92$_{22}$: in deo] CA^2M^2, inde A^1BFM^1.

93$_{36}$: Silum] *C et Bait.*, sillim *A*, siue *B*, *sed* ue *in ras. 2, et FM*; quod nomen hic fuerit, valde dubium est.

103$_{17}$: inundet] CM^2, -at $ABFM^1$.

103_{18}: sunt] *C*, sint *ABFM*.

105_{29}: similitudine] *CM*^{1}, simultitudine *AB*^{2}*FM*^{2}, simultitudinem *B*^{1}.

106_{39}: Octavii] *CM*^{2}, -vi *ABFM*.

111_{15}: »quarundam« mihi quoque Lachmannus recte coniecisse videtur; »earum« habent *BFM*^{2}, »eadem« *AM*^{1}, »earundem« *C*, sed vix ex ipso »quarundam, carundam« ortum; immo coniectura videtur esse, cum γ^1 nihil nisi »eadem« legerit.

Epicuri] Epycuri *C*, epicurei *ABFM*.

ne] *A*^{3}*C*, *om.* *A*^{1}*BFM*.

114_{8}: esse se; habet enim nihil] *C*, esse (esse se *2*) habebet enim nihil *A*, esse si haec enim duae beatum habet. nihil *B*^{1}, esse se habebit enim nihil *B*^{2}*FM*; *cf. p. 43.*

119_{11}: Euhemero] *A*^{2}*CM*, heumero *A*^{1}, heuhemero *BF*^{2}, hemero *F*^{1}.

119_{12}: Euhemero] *A*^{2}*B*^{1}*CM*, heuhemero *A*^{1}*B*^{2}*F*. [1])

II 5_{15}: opinionis] *C*, opinione *AB*^{1}, opinionum *B*^{2}*M*^{2}*F*, opinionem *M*^{1}; dubitari potest, an non Schoemannus recte »opinionum« posuerit.

6_{23}: P.] publius *CF*^{2}*M*, publilius *AB*^{2}*F*^{1}, puplilius *B*^{1}.

6_{25}: Persem] persen *C*, persė *ABF*^{1}, persae *F*^{2}*M*.

18_{21}: ne cogitari] negotiari *A*^{1}*P*, necotari *B*^{1}, nec cogitari *CA*^{3}*B*^{2}*F* *et praeter* n *in ras. 3 V*, nec cogitare *M*; *cf.* 59_{26}: nec cessantium] *CV*, necessantium *A*, non c. *BFM*.

21_{5}: efficitur] *C*, efficietur, *vix minus recte*, *cet. omn.*

56_{1}: versantur] *CM*^{2}, -atur *cet. omn.*

59_{27}: molientium] *CB*^{2}*V*^{2}*FM*, mollentiam *A*, molenciam *B*^{1}, mollentium *V*^{1}.

61_{9}: Vides . . . vides] *CV*^{2}, vides . . . vide *ABFMV*^{1}.

69_{23}: eadem Dianae Ephesiae templum deflagravisse] eadem dianae effesianae (ae *in ras. 3*, effesiam *ut vid. 1*) *A*, ead. dianae (-ne *B*^{1}*V*^{1}) effesiae (efes. *C*) *B*^{1}*CV*, ead. dianam effesiam *B*^{2}*F*, diana eadem effesiae *M*^{1}, dianam eandem

---

1) Primi libri locorum eo, quod *V* omnino et *P* plerumque desunt, minuitur auctoritas.

effesiae M^2; templo B^2FM; deagravissae *A*, demigravisse *B* (*sed* mi *in ras. scr. et* g *corr. 2*) *FM*, deammigravisse, mi *vel* mmi *m. 2*, *V*. — Itaque praeter *C* et fortasse B^1 omnes codices corrupti sunt.

75_{1}: quo] $CA^2B^2FM^2V^2$, quod $A^1B^1M^1V^1$.

84_{5}: iis] CF^2, is *AV*, his *M*, hiis BF^1.

95_{14}: tum] CV^2, cum $ABFMV^1$.

100_{24}: saxa nativis] CV^2M, saxa sanativis ABV^1, saxosanativis B^2F.

129_{34}: crocodilos] *C*, concordilos AB^1(?)V^1, crocodillos B^2FM, corcodrillos PV^2.

130_{10}: magnae] CB^2M^1, magnas APV^1, magnas* B^1, magnae se V^2 (se *postea eras.*).

130_{14}: quot annos] $CA^2B^2FMV^2$, quod annos $A^1B^1PV^1$

136_{33}: constat] *C*, constant *cet. omn.*

136_{36}: et calore] CV^2, et calorem *A* (*sed corr. 1 ex* -um) B^1PV^1, ex calore B^2FM.

137_{8}: ad iecur eique] CB^2FMV^2, adiecorique AV^1, adiecoraeque B^1, iecorique, *om. ad*, *P*.

147_{36-37}: exquo videlicet . . . idque ratione concludimus] *C*, ex qu. videlicet . . . i. rationem c. AM^1PV, ex qu. videmus . . . i. ratione c. BFM^2; *sed cf. p. 38.*

150_{31}: possemus] *C*, possimus *A* (*sed corr. 1* (?) *ex* possumus) *BFMPV*.

158_{21}: ubertas et varietas] *C*, et *om. cet. omn.*

161_{18}: percepimus] *C*, percipimus *cet. omn.*; talia saepissime confunduntur cf. III 42_{9}.

163_{8}: debebant] AB^1V^1, debeant *P*, debebunt B^2CFMV^2.

Si cum Baitero, Mayore, al. imperfectum poneremus, tota sententia non aliter nisi ita intellegi posse videretur, tamquam esset: Quae si singula vos forte ne nunc quidem (post orationem meam) movent, universa certe tamen inter se conexa atque coniuncta, iam pridem movere debebant. Sed haec neque rectum sensum praebent, et Cicero, si tale quid dicere voluisset, certe »ne nunc quidem« in prodosi addidisset. Id autem optimum est: Quae si singula vos forte non movent, tamen si universa inter se conexa atque coniuncta, qualia ea nunc ipse enarrare conatus sum, in animum

revocaveritis, movere debebunt. Itaque sine dubio futurum tempus ponendum est.

166_{24}: et civitatibus] CB^2V^2F, et in civitatibus AB^1MPV^1; *cf.* 166_{27}: extis] in extis *Z*, *et* III 45_{7} : iure] in iure *Z*.

168_{6}: et impia] CMV^2, etiam pia $ABFPV^1$.

III 14_{31}: Navii] CV^2, navi *Z*.

15_{9}: audivi: tibi si] CA^2V^2, *cet. varie, sed leniter corrupti.*

30_{28}: omnis] $CA^2B^2V^2FM$, -es $A^1B^1PV^1$.

cereum] CB^2F, cereum, eu *in ras. 2 A*, cereum *c. praeced.* esset *in ras.* V^2, certum B^1MP.

31_{4}: et humor ita mollis est] CV^3, et humor ita molle est (molest A^1, mollest B^1, molē V^1) $ABFMV^1P$.

34_{30}: aut] A^3 (*supra ras.*) *et* CF^2M, ut A^1(?)BF^1PV.

41_{32}: excesserant vita. Quamquam] CB^2F, *cet. corrupti.*

42_{34}: ii] *C*, hii *ABFMV*, hi *P*.

42_{1}: Ioves] CA^2, -is *cet. omn.*

42_{9}: accepimus] CV^2, accip. $ABFMPV^1$.

46_{18}: honores] F^2V^2CM, -ris ABF^1PV^1.

50_{23}: Alabandenses] CV^2M^2, alabandens is $ABFM^1P$, -dens his V^1.

52_{17}: horum] CF^2MV^2, honorum ABF^1V^1, bonorum *P*.

56_{21-22}: Aegyptum profugisse] *C*, *cet. omn. corrupti, cf. p. 20.*

65_{8}: di rebus] dii rebus *C*, de rebus $ABFMPV^1$, rebus V^2.

71_{21}: Medea] CA^2F^2, media A^1BF^1MPV; *cf.* 67_{26}: Medea] $CA^2B^2F^2M$, media $A^1B^1F^1PV$.

73_{36}: dissipes] *C*, dissipis $ABFM^1PV^1$, dissipas M^2V^2.

74_{22}: de fide mala, tutelae] *C*, fide fidem alatat utile *A*, *et sic, ut vid., sed om. pr.* fide *etiam* V^1; fide allata (ablata *M*) tutelae *BFM*, fide mala at utile PV^2; in archetypo fuisse videtur: »fidemalatatutele«, quod et α et β falso distinxerunt.

86_{10}: cuipiam] *C*, quipiam $A^1BFM^1V^1$, quippiam $A^3M^2PV^2$; archetypus habuit »quipiam«, ut mihi quidem Schoemannus et Müllerus rectissime »quippiam« recepisse videantur.

94_{26}: in eam] C^2FM, meam *lenissimo errore* C^1, in

aeam A^2, in eram (aeram A^1) $ABF^1P^1V^1$, in meram V^2, in istam P^2.

Quarum lectionum quot re vera correctori γ^2 debeantur et quot iam γ^1 habuerit aut C demum intulerit, discerni vix possit, id autem mihi quidem constare videtur, nullam earum esse, quae non aut coniectura aut codice α iterum inspecto ab homine diligentius quaerente sermonisque latini haud imperito, inveniri potuerit.

Iam postquam, unde originem codex *C* duxerit, exposuimus, pauca de ipsius habitu addamus. Mirum autem est, quanta cum neglegentia atque socordia exaratus sit. Minora menda sescenta insunt, permultis locis verba propter similitudinem aliisque de causis omittuntur, ut III 58_{14} vel octo lineae exciderunt, propter verbum »accepimus« bis repetitum, saepe etiam ordo verborum ad arbitrium mutatur.

Reliquum est, ut **de correctore C^2** disputemus. Quae res paucis absolvi potest. Quamquam enim C^2 permulta incorrecta reliquit, omissa non supplevit, interdum pravissima coniecit et interpolavit (cf. e. g. II 25_{36}; 68_{19}; 87_{30}; 168_4; III 43_{13}; 78_{25}), tamen eum codice aliquo usum esse concludimus, quod et non paucis locis lacunas neglegentia librarii C^1 ortas recte supplevit et interdum pristinum verborum ordinem a C^1 turbatum restituit (cf. e. g. I 107_{10}; 119_{17}; 122_{11}), cum etiam ita, ut C^1 fecerat, verba poni recteque intellegi per linguae latinae leges liceret. Sed nulla correctura eiusmodi est, ut nobis persuadeat, alium librum huic correctori praesto fuisse, quam eum ipsum, quem C^1 descripserat. Tamen pauca, quae memoria digna videantur, hic afferam: C^2 solus aut cum paucis aliis libris rectam nobis praebet lectionem:

I 114_5: pulchre] C^2, pulcre M^2, pulcro AM^1, pulchro BC^1F.

II 2_{12}: aveo] C^2, abeo AB^1F^1, habeo $B^2C^1F^2M$.

33_1: primo] C^2PV^3, prima ABC^1FMV^1.

70_{14}: futilitatis] $A^2B^1C^2V^2$, furtil. A^1, futtil. B^2FV^1, inutilitatis (*glossema aut coniectura*) C^1, utilitatis *M*.

109_{29}: temoni] C^2, temone *cet. omn.*

162_{26}: praedictionem] C^2, praedicationem *cet. omn.*

Quibus locis addo hos alia ratione dignos qui inspiciantur:

II 112_{8}: convexa] *cet. omn.*, connexa C^2.

III 44_{20}: At id] at ut C^1, at uel C^2; fuit igitur in γ »ū«, cf. Wattenb. Lat. Pal. p. 78.

52_{15}: Almonem] anemonem *ut ceteri omnes C, sed corr. ex* anemomen, vel anienem *spscr.* C^2, *aperta coniectura.*

72_{27}: in Synephebis] in efebis $C^2F^2M^1$.

83_{1}: felix] *BFM*, filia AC^1PV (*V cum signo corrupt.* ◡), filica C^2.

De codice *M*.

Sed ad postremam dissertationis nostrae partem pergamus, quae erit de natura codicis *M*, quem Schwenkius »cum codice *F*, ex *B* descripto, ita dicit cohaerere, ut tamen ex altera classe, fortasse ex ipso *A* vel quodam eius apographo multas lectiones receperit.« Qua in re quominus ei adsentirer, diu obluctatus sum, propterea quod in *M* Topica, quae *F* continet, omissa sunt. Itaque malebam docere conversa ratione *M* ex codice classis α fluxisse, qui ut noster *V* Topica exclusisset et ex alterius classis codice *F* vel quodam eius apographo multas lectiones recepisset. Nec prorsus destitutus mihi videbar esse, praesertim cum certe libro primo et secundo (scilicet, ubi corrector ille (μ^2) qui lectiones ab *F* diversas in parentem codicis *M* (μ^1) intulerit, libro quam emendatissimo conficiendo vehementius operam dedit) numerus eorum locorum, quibus *M* classem α sequeretur, paene maior esset, quam quibus β, neque deessent loci, quibus *M* tales lectiones cum classe α communes haberet, quales, ut aperte falsas et corruptas omnique sensu carentes, correctorem aliquem recepturum fuisse mihi persuadere non poteram. At primum non numerandi erant loci, sed perpendendi, atque apparuit eos adeo inter se differre, ut interdum unus multos vi superaret; deinde cogitandum erat, non quae nos recepturi fuissemus, sed quae antiquus ille corrector, et ne haec quidem eadem esse constabat,

Ita factum est, ut paulatim in Schwenkii sententiam discederem. Codicem μ igitur ex *F* descriptum esse probant hi loci:

I 7_{25}: interesse] inter, *om.* esse, *FM.*

28_{10}: de sideribus] sideribus FM^2, esideribus M^1.

45_{18}: talia essent] t. sint *M et corr. 1 ex* t. sunt *F.*

45_{18}: pulsus] us *corr. 2 ut vid. B*, depulsus *FM.*

53_{26}: poetae] *om. FM.*

70_{25}: alterum utrum] alterutrum F^2M.

71_{38}: quod] F^2M, quam $ABCF^1P$.

72_{11}: ait a se] ait se *FM.*

75_{32}: Coa] *om. BFM.*

77_{15}: lena natura] *primae* a *supscr.* 2 is *B*, lenisanatura, *pr.* a *del. 1 F*, lenis natura *M.*

86_{33}: timor] *om.* FM^1.

93_{35}: Silum] *C*, sillim *A*, siue *B* (*sed* ue *in ras. 2*) *FM.*

97_{36}: ad figuram] at figuram BF^1, at figura F^2M.

110_{5}: quae nulla sunt] *BFM*, *om. AC.*

II 2_{12}: Cotta] contra *FM.*

6_{25}: Persem] persae F^2M.

9_{21}: suem] suam B^1, sue F^1, suae *M.*

9_{25}: ex his bella] e. h. bellis F^2M.

65_{22} *itemque* 65_{23}: fulgente, tonante] fulgorante (fulgur. *M*) et tonante F^2M; et *priore loco etiam B*, *posteriore Z interpolaverunt.*

67_{12}: minaretur] minueretur F^2M.

89_{25}: fuscina evertens] fuscinevertens B^1 (*propter versum*), *supra* ne *scr.* a B^2, fuscinauertens *FM.*

106_{25}: a nocte] nocte *FM.*

110_{30}: Dein quae] deinde *FM.*

113_{11} *et* 114_{24}: omittunt *FM* ea, quae B^2 deleverat; cf. p. 53 et 54.

126_{1}: aluo ibis F^2M, *ceteri quoque varie corrupti.*

137_{6}: autem] autem aluo $ABCF^1PV$, autem et aluo F^2M.

159_{1}: primast] prima B^2FM.

III 7_{31}: ad] *om. BFM.*

11_{7}: albis] PV^2, aluis AV^1, alius *C*, ab his *BFM.*

24_{13}: in motu] immotu FM^1.

41_{25}: ecquem] inter haec quem F^2M, *cet. quoque varie corrupti.*

46_{18}: farinae] *om.* B^2FM.

54_1: Mnemosyne] nemo sine *ACPV*, m nemo sine *BFM*.

62_{18}: miserandum] *F*, uel mirandum *spscr.* F^2, mirandum *M*.

63_{33}: esquiliis] F^2M, *cet. omn. leniter corrupti.*

79_8: malis] malis sit *FM*.

87_{24}: appellant] -at *FM*.

Haec satis; sed altera quaestio reliqua est, qualis fuerit ille codex, ex quo corrector μ^2 codicis μ tot lectiones alterius classis α receperit. Quem codicem quod Schwenkius ipsum *A* vel quoddam eius apographum fuisse putat, ipse vereor, ne res tam explorata non sit, quam videatur. Primum enim eorum locorum, qui ut alicuius momenti in hanc sententiam afferri possunt, quippe quibus *M* cum uno *A* consentiat, pars fere dimidia minus valet aut aliis apertis de causis aut ideo, quod *P* et *V* testibus caremus, ut nesciamus, annon hi eadem habuerint. Accedit gravius aliquid, quod *M* non paucis locis (quorum numeri proni positi sunt) cum A^1 tantum congruit. Sed, ut ipse iudicare possis, hic eos omnes ponam:

I $\mathit{1}_8$: ad cognitionem] BFM^2 (*?*), *cf. p. 22 ss.*, ad agnitionem A^2CM^3, agnit. *om.* ad A^1M^1. (*PV des.*)

$\mathit{85}_{20}$: re] res A^1, *om.* M^1. (*PV d.*)

$\mathit{101}_{33}$: Aegyptii nullam] egypti in nullam (*?*) A^1, egyptii in nullam M^1. (*PV d.*)

108_{14}: in meum aliae, aliae in tuum] i. m. alie (ae *M*) in tuum *AM*. (*PV d.*)

111_{15}: quarundam] earum BFM^2, eadem AM^1, earundem *C*. (*PV d.*)

$\mathit{112}_{23}$: vivendum] *sec.* v *in ras. 3 A*, videndum *M*. (*PV d.*)

115_{11}: Coruncanium] corruncanium *AM*, (*PV d.*), *cf.* III 5_8: quorumcanium AM^1.

$\mathit{122}_{15}$: ita] sta (*?*) A^1, ista *M*, (*PV d.*), *cf.* III 27_9: naturae ista] naturae ste *A*, naturae istae (-te F^1) *BF*.

123_{22}: quaeque is] quaeque his AM^1. (*PV* d.)

II $\mathit{66}_{32}$: a iuvando] adiuvando (*pr.* d *spscr. 1 vel 3*) AM^1.

67_{15}: aedium] aeduum AM^2, haeduum M^1.

70$_{6}$: turbulentus] *post.* u *corr. 3 A*, turbolentos *M.* (*P d.*)

83$_{31}$: et aer] *BCF*, ettaer *A*^{1}, ettaher *A*^{2}, aether *M*, aer, *om.* et, *in ras.* *V*$^{3-4}$. (*P d.*)

144$_{8}$: multisque cum flexibus] multisque conflexibus *AM*.

158$_{29}$: tamque] taque *A*^{1}*M*^{1}. (*P d.*)

III 57$_{9}$: ex] et *A*, *om.* *M*.

62$_{16}$: defenditis] defendis *A*^{1}*M*.

83$_{12}$: Aesculapii] esculapi *A*^{1}*M*^{1}.

Deinde *M* non paucioribus, fortasse autem gravioribus locis non cum *A* sed cum aliis eiusdem classis testibus coniunctus est, ut

I 39$_{31}$: ne coniectura] *MP*, nec coniect. *ABCF*.

52$_{26}$: sive] sivero *C*, om. *M*^{1}.

78$_{25}$: vexit] *CM*; quod etiam *A*^{3} »vexit« habet, nullius momenti est, cum XIII saeculi sit, *M* XI s.

122$_{9}$: ductum] dictum *CM*.

II 16$_{28}$: in eis quae *M* bis exhibet, priore loco ex classe *α* suppleto cum *C*^{1} habet »id quod« pro »id a quo«, posteriori, uti par est, cum *B* consentit.

71$_{17}$: poterunt] *B*^{1}*CMV*, poterant *AB*^{2}*F*.

100$_{24}$: saxa nativis] *CV*^{2}*M*, saxasanativis *AB*^{1}*V*^{1}, saxosanativis *B*^{2}*F*.

121$_{31}$: Pastum] *B*^{1}*CPV*, pastus *AB*^{2}*F*.

138$_{13}$: dictu] dictum *C*^{1}, dittum, m *eras.*, *M*.

138$_{21}$ contagione] coagitatione *V*, cogitatione *M*.

III 37$_{27}$: itemque] neque *C*, nec *M*^{1}.

44$_{29}$: nominatur] *C* (*sed corr. 1* -antur) *et* *M*^{1}.

45$_{10}$: et rhesus] rhe *in ras. 2 B*, ethesis *A*^{1}, ethesus *A*^{2}*CPV*^{1}, et theseus *MV*^{2}.

48$_{6}$: deam duces] d. ducis *B*^{1}*CM*, *cet. aliter corrupti.*

56$_{22}$: profugisse] *CM*, profuisse *AB*^{1}*PV*^{1}, praefuisse *B*^{2}*FV*^{3}.

57$_{2}$: specillum] speculum *MPV*^{3}.

62$_{24}$: ductum] dictum *CPM*^{1}.

80$_{15}$: est Q.] estq; *M*^{1}*V*^{1}, estque *A*^{1}*C*^{2}*P*, estquae *B*^{1}*C*^{1}.

92$_{5}$: materiam] *MP*, -ia *cet. omnes.*

Etiam quibus *M* cum *B*^{1} congruat sex notavi locos:

I 94_7: inpetraritis] A^1, inpetraveritis A^3, inpetraretis B^1M, impetraritis B^2CF.

II 49_{34}: palato] plato B^1M.

77_{19}: gerant] generant B^1M^1.

85_6: aut] autem B^1(?)M^1.

88_6: et in luna] et luna B^1M.

III 91_{32}: umquam ab] umquam quam ab B^1M^1.

Denique nonnullis locis *M* etiam unus rectam aut suam propriam lectionem exhibet, velut:

I 28_2: item] non *M*.

71_{35}: consequantur] -antur *M*.

85_{19}: offensionem] *M*, offensione *ABC*, ostensione *F*.

87_{36}: solem aut mundum] solem aut lunam aut mund. *M*.

94_2: Tu ipse] Tu vero ipse *M*.

II 44_{24}: sublime] M^1, in sublime *cet. omn.*

114_5: fulgens] refulgens *M*.

III 47_{21}: in agro Ardeati] i. a. Ardeatino *M*.

59_{20}: Elide delubrum] *M*, *cceteri omisso altero* de *varie corrupti.*

73_3: neque ut inde] *M*, *Schoem. Orell. Bait.*, neque unde *ACP*, neq; uitinde *sed* ui *incertum* B^1, ne quid inde B^2F, neque tinde V^1, neque quid inde V^2, nec quid inde *Ribbeckius* (*Fragm. p. 69.*)

Quae cum ita sint, hoc iudicium mihi faciendum videtur esse, μ^2 fuisse codicem classis α, sed vix artiore quam *P* et *V* similitudinis vinculo cum *A* coniunctum, non ipsum *A* aut quoddam eius apographum.

Postremo **de correctore** M^2 pauca addere liceat. Atque, quamquam multa et supplet et emendat, tamen non est, cur eum alio libro in corrigendo usum esse putemus quam eo, quem M^1 descripserat. Ipse quoque modo *F* modo codicem classis α sequitur, ut

II 74_{16}: arbitrato] arbitrio FM^2.

135_{23}: infra quam id] infra quam *om.* M^1, infra id, *om.* quam, B^2F; M^2 *addit* infra, *non addit* quam.

II 143_{32}: coniventibus] M^2 *et in ras. m. 1 ut vid.* *V*, conluentibus *ABCFMP*.

159 1: fabricarier ensem] A^3M^2, fabricari ferensem A^1 B^1C *et ut vid.* V^1, fabricari ferre ensem B^2FM^1, fabricari (*spscr.* vel -ier) ferro ensem V^3.

Coniecturas temptat quidem sed non ita temerarias, propriarum lectionum hae memorabiles sunt:

I 70 25: diiunctionibus] deiunct. AB^2FM^1P, deuinctionibus B^1C, disiunctionibus M^2, *varietate sollemni, cf.* I 41 18: diiungit] *Muellerus recte*, deiungit *Z*.

81 18: defendes] defendens *cet. omn. sine sensu*, defenderis M^2 *prudenti coniectura.*

103 17: superior] M^2, superi *cet. omn.*

II 6 25: M^2 interponit »ipseque« ante »senatui«, ut sequens »nuntiavisset« servari possit. Mihi quoque aut hoc, etsi nihil sit nisi coniectura, aut »cum« eodem loco recipiendum videtur esse.

III 64 35: M^2 recte »indigna« coniecit atque posuit.

Itaque postquam ad finem pervenimus, totius dissertationis nostrae faciamus summam et monstremus viam ac rationem, quas eum ingredi opus esse censeamus, qui Schwenkii apparatu usus libros *de natura deorum* denuo edere velit.

Vidimus igitur, codicum nostrorum omnium archetypi duo exstitisse apographa, α et β. Haec restituenda sunt, atque priore loco ut vetustius atque melius β ponendum est, cuius unum apographum B^1 adhuc quidem novimus. Ad alterum apographum α restituendum quattuor codicibus utimur: *ACPV*, quorum plurimum valent *V* et *A*, minus *P*, minimum *C*. Correctorum A^2 et A^3, V^2 et V^3, C^2, B^2, codicum *F* et *M* et plerumque etiam *C* lectiones non aliter ac virorum doctorum coniecturae ibi demum adhibendae erunt, ubi aut α et β gravius corrupti sunt et illi veram lectionem restituerunt vel restituisse videantur, aut, quid α et β habuerint, dubium est. In re orthographica codicum nostrorum auctoritatem nullam esse, per se putandum erat.

Postremo id addere possum, idem iudicium, quod in libris *de natura deorum* de codice B^1 faciendum esse cognovimus, etiam in libris *de divinatione* et *de fato* valere. Nam cum nuper ipse eum conferrem lectionemque eius, ut aliquando publici iuris fieret, quam accuratissime notarem, in quovis folio praestantia eius eluxit. Ut autem hic nobilissimus testis tam diu ea qua dignus est auctoritate careret, nulla alia causa factum est nisi neglegentia philologorum qui eum contulerunt, quae res iterum nos admonere debet, ne in domo aedificanda fastigia prius quam fundamenta ponamus, ne ad veterum libros recensendos aggrediamur, priusquam codices nostros quam accuratissime excusserimns.

Argumentum.

Agitur de	Pag.
archetypo codicum nostrorum omnium	6 sqq.
ratione universe inter codices intercedente	14 sqq.
ratione inter codices ***A*** et ***V*** intercedente	21.
codicis ***A*** correctore A^2	56 sq.
" " " A^3	57 sqq.
codice ***B***	22 sqq. et 79.
codicis ***B*** correctore B^2	45 sqq.
codice ***C***	65 sqq.
codicis ***C*** correctore C^2	72 sq.
codice ***F***	15 sq. et 19.
codicis ***F*** correctore F^2	19 sq.
codice ***M***	73 sqq.
codicis ***M*** correctore M^2	78.
codice ***P***	21 sq.
codicis ***V*** correctore V^2	59 sqq.
" " " V^3	63 sqq.

De vita auctoris.

Natus sum Bertholdus Otto Dieckhoff Gottingae in alma litterarum sede a. d. XV Calend. Febr. anni h. s. LXXII, patre Hermanno, matre Herminia e gente Balke, quos adhuc superstites esse magnopere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litteris in ludo patriae qui dicitur »Gehobene Volkschule« imbutus auctumno anni LXXXI gymnasium Gottingense adii. Antonii Viertelii directoris auspiciis maturitatis examine superato vere anni XC in numerum civium academicorum Gottingensium receptus sum.

Docuerunt me viri illustrissimi: Baumann, Bechtel, Dilthey, Dziatzko, M. Heyne, Leo, G. E. Mueller, Roethe, Sauppe, de Wilamovitz-Moellendorf.

Ad exercitationes archaeologicas Dilthey, epigraphicas de Wilamowitz, metricas Leo, palaeographicas Dziatzko, philologas Leo et de Wilamowitz benigne aditum mihi permiserunt.

Regii philologorum proseminarii sodalis per duo, germanici per quattuor, philologorum seminarii sodalis ordinarius per tria semestria, germanici per unum fui.

Omnibus illis viris qui me docuerunt iustas ac debitas habeo gratias, quam maximas vero Friderico Leoni, qui quanta semper erga me fuerit benevolentia quantaque humanitate me inde a studiorum initiis omnibus in rebus opera et consilio adiuverit, numquam obliviscar.